DE

POLITICA HUBERTI LANGUETI DOCTRINA

HANC THESIM PROPONEBAT

FACULTATI LITTERARUM UNIVERSITATIS DIVIONENSIS

G. TOUCHARD

IN AULA PARISIENSI ADVOCATUS

« *Malo periculosam libertatem*
« *Quam quietum servitium!* »

PARIS

ERNEST LEROUX, ÉDITEUR

28, RUE BONAPARTE, 28

1897

DE

POLITICA HUBERTI LANGUETI DOCTRINA

HANC THESIM PROPONEBAT

FACULTATI LITTERARUM UNIVERSITATIS DIVIONENSIS

G. TOUCHARD

IN AULA PARISIENSI ADVOCATUS

« *Malo periculosam libertatem*
« *Quam quietum servitium!* »

PARIS
ERNEST LEROUX, ÉDITEUR
28, RUE BONAPARTE, 28

1897

C. ADAM

FACULTATIS LITTERARUM IN UNIVERSITATE DIVIONENSI

DECANO

Grati animi testimonium.

MEIS ET AMICIS

PROOEMIUM

De Huberto Langueto philosopho atque de illius celeberrimo libro, qui inscribitur *Vindiciæ contra tyrannos, sive de principis in populum populique in principem legitima potestate* (1), disserere constitui.

Langueti nomine in tenebris fere jacente, vix cupiunt eruditi viri hominem cognoscere. Laude tamen non indignus Languetus est. Inter primos enim, in sexto decimo sæculo, pro humana ratione atque sanctissima libertate, quæ tunc, ut ita dicam, obsoleta et pedibus erat calcata, vocem tollere non dubitavit.

Principum autem adulatores tam vehementer agitat et insequitur, ut Machiavellum redarguere videatur. Populo enim favet et civitates, in quibus populi potestas summa est, omnibus aliis anteponit.

Immo, Hubertus Languetus noster doctrinam exponit, quam non ante octavum decimum sæculum editam esse plerique putant. Quis enim præclaro Rousseau eum quasi præcurrisse neget, qui populos cum regibus fœdus icisse contendere ausus sit?

Multum quidem abest ut Rousseau justam elevare glo-

(1) *Vindiciæ contra tyrannos, sive de principis in populum populique in principem legitima potestate. Stephano Junio Bruto Celta auctore.* In-12.

riam aut humilem hominem usque ad sidera tollere velim. Quod mihi proposui non assequerer.

Neque enim alia causa incitatus sum ad hoc opus aggrediendum, nisi quod inter certantes et exæstuantes factionum partes, obluctantibus undique discordiæ dissensionumque fluctibus, virum pro honesto dicentem videre nos delectat.

Quæ cum ita sint, non inutilia putavi, si e scriptis in meliorem lucem adductis Huberti Langueti opus et ingenium accurata commentatione explicare possem.

Quod propositum ut assequar, primum de vita Langueti dicam, pauca quidem, cum jam multa eruditissime et exquisita et exposita sint (1), non inutilia tamen, cum omnes fateantur artificis quamdam cognitionem ad ejus opera penitus intelligenda necessariam esse. Langueti autem libri vitæ integritatem quasi narrant. Maxima enim argumenta ex ejus vita ipsa velut depromere possumus in eos (2) qui *Vindicias contra tyrannos* non Langueti esse contendunt et quos in secundo capite refutare conabimur. Nam eadem justitia, eadem animi constantia et moderatione, eodem tyrannorum odio, eadem præcipue de religione cura, et cum scribebat et cum legatus erat, Languetus usus est.

De doctrina deinde, quæ in illo libro exposita est, disputabimus. Quæ fuerit disserendi via, qui errores, quæ posteris digna sint, ostendemus.

(1) Cf. Marrius (de la Mare). *Huberti Langueti vita*. Halle. 1700, in-18. — D'Hozier. *Armorial général de la France*, 1738, t. II, p. 5-13, in-fol. — Blasel. *Hubert Languet* (*1er Theil*). *Historische Dissertation*. Oppeln. 1872, in-8°. — O. Scholz. *Hubert Languet*, Halle, 1875, in-8°. — Henri Chevreul. *Etude sur le* XVIe *siècle: Hubert Languet*, in-8°. Paris, 2e édition, 1856. — Albert Waddington. *De Huberti Langueti vita*. Paris, Leroux, 1888.

(2) Cf. Waddington, *loc. cit.*, p. 125 sqq.

Ad res gestas scribendas quantum prodessent Langueti epistolæ, monstravit Waddington. Philosophiæ in primis Languetum inserviisse ex libro nostro satis apparebit. Neque pro labore meo quicquam aliud a legentibus repeto, nisi ut mecum ad colendum et diligendum philosophum illum adducantur.

CAPUT I

De Huberto Langueto

Vitellii, in Burgundiæ oppido, anno 1518, natus est Languetus. Pater fuit Huberto Germanus Languetus, vir nobili genere, arcis Vitellensis tunc munitissimæ, sed post civilia bella dirutæ præfectus; mater, Joanna Devoyot, Augustodunensis.

Cum jam a primis annis magnum ingenii acumen inesset Langueto, non tam patris cura et studio quam propria indole ad liberales disciplinas incitatus est magistris mox non impar discipulus. Etenim, cum vix nonum ætatis annum ageret, sermone latino ita utebatur ut parentum spem et præceptorum exspectationem vinceret. Tantusque litterarum amor tunc in eum invasit, ut utriusque linguæ exemplaria nocturna diurnaque manu versaret et omnia quæ famam ingredientes remorari solent, mox superaret.

Ubi legitimam ætatem attigit, peregrinandi ardore motus est. Nec otiosa peregrinatio, nam de regibus et doctis viris multa adnotabat, inscriptiones observabat antiquas, veterem regionum scientiam, quam penitus didicerat, cum nova conferebat. Ita jam se parabat viator noster ad aggrediendum opus, quo postea nomen apud æquales præclarum effecit.

Germaniam (1) primum invisit. Langueto hanc regionem videndi animus fuit, quod tunc de *reformanda*, ut aiebant, Ecclesia ageretur.

Is enim tunc erat reipublicæ christianæ status, ut, corruptis principum moribus, ad renovandam religionem plerique jure conclamarent : Languetus autem adolescens libros, qui disputationes de religione habent, avidissime legerat et complures in eo studio annos contriverat. Sub annum 1547 a Germano quodam *Rerum theologicarum locos communes*, quod Melanchthon scripserat opus, dono accepit et eodem anno quater aut quinquies, quanquam peregrinabatur, perlegit : itaque paulo post Lipsiæ *protestantium* doctrinam amplexus est.

Joachimo Camerario (2), viro græcis et latinis litteris eruditissimo, in hujus urbis academia professore, velut hospite et magistro et amico usus est, et illius filium (3) contubernalem habuit. Quod multæ testantur epistolæ, a Ludovico Camerario ipso editæ (4), in quibus magnam vim ingenii, judicium acerrimum, studium veri mirum et eximium præcipue animi candorem invenias. Quibus ex epistolis jam apparet vir noster semper maximi momenti negotiis deditus. Et simul quæ disputentur et quæ concedantur diligentissime notat : « Contendunt inter se Turne-

(1) Cf. Philibertum MARRIUM, *loc. cit.*, p. 6. — WADDINGTON contra Marrium errasse dicit, neque Languetum in Germaniam primum ivisse sed primum Pictavium petivisse. *Loc. cit.*, p. 3.

(2) Cf. H. CHEVREUL, *loc. cit.*, p. 7. — Liebhardum nomine Camerarium fecerunt, quoniam pater ejus, in aula Electoris Hessiæ camerius fuerat olim.

(3) De Joachimo II Camerario paucissima habemus : circa annum 1530 natus, Wratislaviæ sese studiis dederat, ubi a Cratone artis medicæ principia hauserat ; deinde Norimbergæ sibi domicilium constituerat, ut medicam artem ipse exerceret. Ibi eum Languetus, anno 1554, primum novit ; ibi amicitiam arctam inter se fecerunt, quæ longo usu confirmata est. Cf. *Ep. I ad Camerarium filium*, 4 Nonas Martii 1554.

(4) *Viri cl. H. Langueti Burgundi ad Joachimum Camerarium scriptæ epistolæ.* Groningæ, 1646, in-18°.

bus et Ramus, hic Aristotelem oppugnat, alter defendit. (1) » Nos etiam illa omnia, quamvis parvi nunc momenti, delectant, sive de funestis Italiæ et Galliæ bellis, sive de bonis artibus et disputationibus theologicis, sive de philosophorum disciplinis commemorant (2).

Germania vero relicta, Languetus (3) in Italiam profectus est et Pictavii juris civilis scientiæ se dedit. In hac urbe vixisse et studuisse quantum Langueto profuerit librum legentibus manifestum est : Romanorum enim subtile ingenium mire ingenio congruebat Huberti, qui dialectice disserendi viam et rationem ab iis sumpsit et jurisperitorum modo mox disputavit.

Narrat Joachimus Camerarius, Melanchthonis amicus et nostri familiaris, Languetum, cum *De anima* tractatum legisset, magna videndi auctoris cupiditate incensum, celeriter Italiam peragrasse, Wittebergam petiisse, neque ante Melanchthonem mortuum reliquisse. Tantaque amicitia juncti sunt, ut Melanchthonem Languetus velut parentem coleret, Melanchthon autem Languetum filii nomine dignaretur. « Sunt sæpe auditi sermones, scripsit Joachimus Camerarius (4), Philippi Melanchthonis prædicantes accurate Huberti probitatem et studium veritatis et prudentiam... Erat autem præcipue Philippo grata atque jucunda multarum magnarumque rerum, quas ille tenebat, commemoratio et oratio de principibus regibusque. » Quæ Camerarii verba, utpote quæ Languetum cum celeberrimo illius ætatis viro conjunctum esse plane ostendant, hic referenda erant. Inter illos viros coortam esse familiaritatem quid mirum est, cum natura ingenii et temporum quadam fortuna alter alteri, ut ita dicam, obvius

(1) *Ibid.*, *Ep. 16* et *13*.
(2) *Ibid.*, *Ep. 16*, 25 oct. 1564; *Ep. 13*,
(3) *Arcana*, t. I, p. 111-112.
(4) In *Melanchthonis vita*. Edit. 1635, in-12, p. 333-334.

raptus fuerit? ambo protestantes, ambo quoque lenissime sentientes. Neminem enim fugit modestum doctumque Melanchthonem longe ab iracundo Luthero afuisse nec de infestis partibus conciliandis desperasse, sed paci semper favisse.

Cœpit autem Burgundus, si iis credere possumus qui de ejus vita scripsere, anno 1543 varias instituere peregrinationes; sed quotannis, postquam aliquam Europæ regionem perlustraverat, appetente hieme Wittebergam semper revertebatur.

Lipsiam redux exeunte anno 1557, in ea civitate aliquandiu moratus est : sed rursus illo peregrinandi amore ductus, quod *astrum suum* vocare consueverat, in ultimas septentrionis partes penetrare decrevit. Quamobrem Suionum regionem petivit, atque, Livonia trajecta, brevi in Lapponum fines pervenit. « Nullius itineris mihi est jucundior recordatio, scripsit (1), quam illius quod ad extremum septentrionem suscepi... Multa ibi vidi, quæ nemo in nostris regionibus docere potuisset, nec etiam credidissem, si ex alio audivissem. »

Wittebergam redire constituit, sed Suionum regem, qui tunc, rebus bene constitutis, regnum et legibus instituebat et ædificiis exornabat, Gustavum visere voluit, qui, cum peritis artificibus indigeret, a Langueto expoposcit, ut, Gallia perlustrata, nonnullos artium callidos sibi mitteret, neque illum nisi pollicitum dimisit (2).

Postea, cum Wittebergæ apud Melanchthonem duobus annis commoratus erat, Languetus ab Adolpho Nassavio, principis Arausionensis fratre, ut rursus in Italiam iret invitatus est, lustrataque regione illa Lutetiam petivit,

(1) *Huberti Langueti epistolæ politicæ et historicæ ad Philippum Sidnæum*. Francfort, 1630, in-18, p. 23.

(2) Cf. *Diploma Gustavi, Langueto datum, ex arce Gripsholomiana*, 9 sept. 1557. Marrius, *loc. cit.* p. 30-33. Chevreul, *appendix* 5.

præcipue Adriani Turnebi videndi studio ductus. Hujus enim mores et eruditionem plurimi faciebat. Paulo post cum ei Melanchthonem obiisse nuntiatum esset, ut Gaspari Peucero adesset, confestim Germaniam petivit.

Ut Melanchthone et amico et magistro et hospite usus erat, ita Peucerum illius generum et amicum et hospitem et studiorum socium habuit, donec in Saxonicam aulam evocatus fuit, quod anno 1560 contigit.

Languetus enim per Philippum Melanchthonem (1) Ulrico Mordesio (2), Saxonici Electoris Augusti consiliario, innotuerat, ac paulo post, cum ille princeps, qui protestantium dux in Germania habebatur, legatum in Galliam mittere vellet, non dubitavit hujus negotii procurationem Langueto, cujus fidem et prudentiam jam esset expertus (3), committere. Languetus, postquam paulum dubitaverat (neque enim amicos relinquere gratum habebat), condicionem a rege oblatam accepit legatusque haud semel in Galliam missus est. Duodecim annos (1560-1572) Electori inserviit non consiliarius (erravit enim Thuanus) (4) sed legatus.

Itaque et Lutetiæ et Viennæ sæpissime moratus est. Electoris enim, qui, ut omnes protestantes principes, Gallorum regis amicitiam affectabat, maxime intererat quid non solum Lutetiæ sed etiam tota in Europa ageretur cognoscere.

Arcana sæculi sexti decimi (5) perlegentibus apparet

(1) *Arcana*, I. 2. *Ep.* 104, p. 264.

(2) Ulricus Mordesius (Von Mordeisen), Melanchthonis amicus, Lipsiæ in Universitate professor, atque deinde Augusti Electoris consiliarus. 1519-1572.

(3) Cf. *Arcana*, II., *Ep. Mordesii ad Languetum*, p. 21-23 : « Feci honorificam tui mentionem apud Illustrissimum principem ».

(4) Cf. *Historiæ sui temporis*, 5 vol. in-fol. Genevæ, 1620. T. IV, lib. LXXIV.

(5) In hoc libro, 1699 in-4° edito, multæ Langueti epistolæ reperiuntur, vero pessime ordinatæ.

quam diligens legatus fuerit Languetus. Sed, cum Oscar Scholz (1) ac deinde Albertus Waddington (2) erudite his rebus studuerint, neque quis fuerit legatus neque rerum publicarum et religionis status quis tunc fuerit commemorabo. Subtilis et acris animi fuit legatus, sed de philosopho tantum disseram.

Namque mirum Languetus se præbuit philosophum cum legationem gereret. Non solum enim bella civilia ea esse, e quibus pax totius orbis ac tranquillitas penderet, putavit, sed etiam Germaniæ principes monendos esse censuit, ne Huguenotes a pontificibus opprimi paterentur. « Ego existimo hos tumultus ad totum orbem christianum pertinere », scribit ad Electorem, et addit (3) : « Quidam existimant Germanicos principes recte facturos, si se constituant arbitros istarum controversiarum, inter regem et subditos, et propterea splendidam aliquam legationem in Galliam mittant. »

Hæc verba notanda erant, quæ quid legatus tentaverit et quid philosophus cogitaverit nobis significant. Eadem enim inveniemus in quarta parte libri qui inscribitur *Vindiciæ contra tyrannos*, in qua contendit Languetus a tyrannis populos alios aliis tutandos esse. De his disputabimus : nunc animadvertere satis erat Languetum eadem probasse velut legatum eadem, velut philosophum.

Ceterum Languetus Electorem Saxonicum ceterosque Imperii principes, ut se rebus gallicis immiscerent, sæpius hortatus est ; et effecit. Etenim die 25 augusti 1569 ad Theodorum Bezam scribebat (4) : « Credo te non ignorasse Imperatorem id agere ut ipse et aliquot principes Germa-

(1) *Loc. cit.*, p. 14-15.
(2) *Loc. cit.*, p. 30.
(3) *Arcana*, I, p. 23, oct. 1567.
(4) Bibl. Sanctæ Genovesæ. *Epistolarum hæreticorum* t. II. *Ep. inedita Langueti ad Bezam*, 25 aug. 1569. Cf. *Arcana*, I, p. 19 à 25.

nici constituantur arbitri pacis inter regem et nostros, et ob eam rem institui solemnem legationem in Galliam ab ipso Imperatore, sex Electoribus, domo Austriaca, duce Bavario, Hessio Landgravio et episcopo Würzburgensi. Constitutum est autem ut hic conveniant, et dictus fuit huic rei dies vigesimus quartus superioris mensis, qui licet dudum præterierit, nondum tamen advenerunt Palatinenses, Saxonici et Brandeburgenses et Colonienses. »

Legatio igitur, mense decembri (1) 1570, a tribus Imperii Electoribus et quibusdam aliis principibus ad regem Galliæ missa est, quæ ei nuptias cum filia Imperatoris gratularetur, et ab eo expeteret ut pax cum Huguenotis præservaretur, duriore adversus eos bello non longius producto.

Inter legatos fuit Languetus et tam libere locutus est, ut ipse, quod ex octava ad Sidnæum, Anglum equitem, epistola (2) constat, timuisse videretur, ne res sibi postea damno foret.

Etenim Carolo IX, qui tunc Galliæ rex erat, omnibus aliarum nationum legatis adstantibus, vexatorum protestantium causam orare ausus est (3), et summa cum dignitate Carolum monuit ne Gallorum eos agitaret, qui novam religionen sequerentur : unum enim de iis rebus judicem esse Deum. Quam orationem *Vindiciis* conferemus, sed ut clarissima, ita inutilis fuit ; non solum enim Langueti consilia minime secuti sunt ii qui tunc rebus Galliæ præerant, verum etiam protestantes interfici anno 1572 jusserunt.

Languetus vero, postquam ab Andreo Wechelo, typographo, de iis rebus quæ per urbem, in hac Sanbartho-

(1) Plerique auctores dixerunt orationem Langueti die 23 dec. habitam fuisse; at secundum Langueti ipsius epistolam a Scholz primum editam, oratio die 20 dec. habita est.

(2) *H. Langueti epistolæ politicæ ad Philippum Sidnæum*, edit. Elzevir, 1646, p. 28 sqq.

(3) Anno 1570, in mense decembri. Cf. *Mesmoires de l'Estat de France* de Niceron (*Charles IX*) et H. Chevreul, p. 226 sqq.

lomæana cæde, agebantur, mane certior factus erat, mirabili constantia et fortitudine usus est. Wechelum enim impendentis periculi metu pæne exanimem consiliis erexit atque firmavit, furentium gladiis subduxit ac semper deinde arcta necessitudine conjunctum habuit.

Wecheli autem procurata salute, carissimum suum Philippum Mornæum a periculis vindicare conatus est. Neque ullus ei auxilio fuit nisi Joannes Mornillerius, Aureliani olim episcopus, quocum haud semel de publicis negotiis egerat.

Anno 1573 ad Saxonicam aulam rediit Languetus, in qua aliquot annos fere sine intermissione egit. De nonnullis rebus tamen legatus iterum missus est, præsertim ad Maximilianum Imperatorem : sed, anno 1577, ab Augusto Electore petiit ut sibi recedere liceret (1). Editus enim erat liber a duobus Wittebergensibus professoribus compositus, *Exegesis perspicua controversiæ de Cœna Domini*, qui maximam perturbationem toti Saxoniæ attulit : Calvini enim placita, quibus potissimum Augustus adversabatur, in hoc libro proponebantur. Languetus autem, ubi amicos suos periculis obnoxios et semetipsum ab æmulorum invidia parum tutum vidit, Saxonici legati officio se abdicare decrevit. Electori tamen litteras scribere non desiit (2), sed illum usque ad mortem veneratus est.

Francofurtum tum se contulit, ubi sperabat fore ut cum Wechelo carissimo suo otio cum dignitate frueretur. At mox a Joanne Casimiro, Palatini comite, advocatus, anno 1578 illum in Anglorum terram secutus est, ubi splendidissime exceptus et plurimis muneribus oneratus est. Paulo post vero in Belgicam provinciam regia nave

(1) *Arcana*, p. 264-268, 9 janvier 1577, et Chevreul, *loc. cit.*, p. 126-128.
(2) *Arcana*, I, 2. Antverpiæ, 14 nov. 1579.

revectus, maximum ex Augusti, Electoris Saxoniæ filii, morte dolorem cepit; principem enim et ejus filium æque diligebat.

Anni 1579 ineunte vere, medicis hortantibus, ad Thermas Badenses se conferre constituit (1) : morbus enim, quo conflictabatur, in pejus excesserat, et itineris labores, quibus antea delectabatur, parum jucundi facti erant.

Tunc vero contigit ut Jacobus Augustus Thuanus Joanni fratri ægro se comitem adderet. Languetum autem et probitate et litterarum eruditione et publicarum rerum cognitione insignem adeo miratus est ut vix eum linquere posset (2).

Cum maximam æstatis partem in Badensibus Thermis contrivisset, appetente autumno Antverpiam regredi constituit Hubertus et vicesimo die Januarii mensis 1580 in hanc urbem pervenit. Quam post unum annum reliquit ut Galliam rursus, a Gulielmo Arausionensi principe missus, peteret.

Anno 1579 aut 1580 aut 1581 (3) prolatæ sunt *Vindiciæ contra tyrannos, sive de principis in populum populique in principem legitima potestate.* Quem librum a Langueto scriptum fuisse ostendemus. Præter hunc

(1) *Loc. cit.*, LXXVII, p. 383. — « Hinc proficiscar ad Thermas Antoninas seu Badenses valetudinis curandæ causa, nam sum adeo languefactus morbis, quibus per hiemem laboravi, ut vix ambulare queam. »

(2) Thuanus ipse illam cum Langueto amicitiam testatur (*Hist.*, lib. LXXIV).

(3) De tempore et loco editionis longe disserit Thieme (*Disputatio juridica inauguralis de opusculo « Vindiciæ contra tyrannos... » inscripto*, p. 27 sqq.). Subobscura autem quæstio manet et « adhuc sub judice lis est ». Confer quoque Waddington (*loc. cit.*, p. 125) et Marrium (*Vita H. Langueti*, p. 113), qui ad annum 1580 inclinant; Chevreul contra (*loc. cit.*, p. 177) ad annum 1581. Omnes, ait Thieme (*loc. cit.*, p. 27), qui fidem tribuunt orationi funebri Tronchini (de qua postea loquemur), annum 1581 proponunt. Hanc equidem opinionem probamus et, quemadmodum Baylius (*Dict. Hist. et critique*, IV, p. 572), communem sententiam sequimur, ex qua opusculum Basileæ editum est. Helvetia enim eo tempore præ aliis vicinis regionibus ea libertate fruebatur, ut ibi multi libri in lucem venirent, similia studia spirantes.

librum et multas epistolas (1) scripsit etiam vir eruditissimus *Historicam descriptionem susceptæ a Cæsarea majestate executionis, Augusto Saxoniæ septemviro duce contra S. Romani imperii rebelles...* (2). Sed in hoc opusculo, de quo nihil dicendum est, tantum aliquot de Augusto, Electore Saxoniæ, quem valde diligebat, collegit documenta, neque res gestas narrare neque philosophorum disciplinas exponere conatus est. Ex quo libro vix ea excipere verba possum : « Ea fere semper est rerum humanarum infelicitas, ut in invidiam et vulgi reprehensionem inciderint ii, qui se corruptis sui sæculi moribus opposuerunt, aut conantes turbare rempublicam represserunt. »

Contenderunt nonnulli *Arausionensis principis apologiam adversus Philippum II, Hispaniæ regem* (3), composuisse Languetum. Quod si verum est (4), in rebus arduis fidum fuisse amicum Languetum certum habemus.

Compositis Galliæ rebus, Antverpiam reversus est Languetus, ubi morte vitæ sanctissime peractæ plane consentanea, pridie Octobris Kalendas anni 1581 (5), defunctus est.

(1) *Huberti Langueti epistolæ politicæ et historicæ scriptæ quondam ad illustrem et generosum Dominum Philippum Sidnæum, equitem Anglum, illustrissimi Proregis Hiberniæ filium, Vlissingensem gubernatorem fortissimum.* Francofurti, 1633. Lugduni, 1646. — *Viri clari Huberti Langueti Burgundi ad Joachimum Camerarium patrem et Joachimum Camerarium filium, medicum, scriptæ epistolæ, ob res politicas et historicas memorabiles, lectu utilissimæ.* Groningæ, 1646, in-16. — *Arcana sæculi sexti decimi : Huberti Langueti legati, dum viveret, et consiliarii Saxonici epistolæ secretæ ad principem suum, Augustum Saxoniæ ducem.* Halæ, 1699, in-4°. — Denique *La lettre de M. Languet à M. de Tou touchant les Estats d'Allemagne,* Bibliothèque nationale, fonds français 2756, p. 218 à 222. Hæc epistola a Waddington reperta est.

(2) *Historica descriptio susceptæ a Cæsarea majestate executionis Augusto Saxoniæ septemviro duce contra S. Romani imperii rebelles, eorumque receptatorem et captæ urbis Gothæ.* 1568, in-4°. — Cf. *Scriptorum rerum Germanic.*, 4tus, *liber.*

(3) *Apologie du Prince d'Orange,* in-4. Delphis Batav., 1581.

(4) Hanc opinionem non approbare videntur Chevreul, *loc. cit.*, p. 165-167, et Groen Van Prinsterer, *Archives de la maison d'Orange-Nassau.* Leid, 1836, t. III, p. 186. A Grotio hoc opusculum Petro Villerio tribuebatur (Baylius, in voce *Languet*). Item Bilderdij. *Geschiedenis des Vaderlands,* 1837, t. VII, p. 28.

(5) Niceron. *Mémoires,* t. I, p. 301.

Quanquam diu gravi morbo laboravit, nullum unquam emisit gemitum, sed modo Deum oravit ut Ecclesiæ et reipublicæ statum emendaret. De regibus tantum questus est, qui omnia commodis suis metiuntur, et, cum præstantissimum munus regnandi a Deo acceperint, tam nobili et excellenti dignitate ad ludibrium potius quam ad populorum utilitatem utuntur, transmissa plerumque in nebulonum manus republica. Hæ interdum ex viri pectore erumpebant querelæ.

Illius funus maximo cum splendore celebratum est, adstantibus Antverpiæ senatu populoque.

Præter aliquot signa, pretiosa vasa et aliquot libros, omnia Langueti bona gallicarum librarum vix viginti millibus æstimata sunt, et quod præsertim mirandum est, vir ille, qui maxima orbis christiani negotia tractaverat procerumque amicitia diu ornatus fuerat, nihil fere nisi moderationis exemplum posteris reliquit (1).

Langueto fuit justa statura, caput optime conformatum, « frons quadrata, erecta et convenienter exporrecta, supercilia a se invicem decenter disjuncta, ait Marrius (2), nasus neque oblongus nimis neque brevior, extrema parte tamen in tenuitatem paulo obtusam desinens, aures erectæ et justæ magnitudinis, oculi bene aperti, neque nimis concavi neque nimium prominentes, admodum vividi, in ambitu subnigri, media parte leucophæi, os rotundum et moderate diductum, barba in senectute promissa et bifurca; tota denique facies dignitatis et venerationis plena. »

Mira fuit noster ingenii suavitate, qua potissimum ad deleniendos homines factus videbatur. Veri amore tanto

(1) Epitaphium a Theodoro Beza compositum in omnibus epistolarum Langueti editionibus datur. Cf. quoque Chevreul, *loc. cit.*, p. 235, note 9.

(2) *Loc. cit.*, p. 133-134.

ardebat, ut ne joco quidem mentiretur. « Ego, ait (1), non possum dissimulare id, quod rectum esse judico. » Mirum igitur est Languetum legati munus exercuisse, ad quod explendum fallendi arte magis quam integro animo homines uti solent (2). In supervacuis rebus nihil illius temporis consumi passus est, quod omne aut ad publica negotia aut ad privata studia impenderet. Parcissimus sui etiam laudator fuit Languetus, quanquam summas dignitates adeptus erat. Inter tot vitiis inquinatos homines tantam pudoris ac verecundiæ rationem habuit, ut obscœna ne legere quidem sustineret.

Magnus ei insitus erat animi candor, morum rara integritas, fucus nullus, ostentatio nulla ; eximia præterea eruditione, prudentia singulari, exquisito judicio, maximo rerum usu, invicta animi magnitudine et constantia præditus erat. Cælibem vitam, quam semel amplexus erat, constantissime retinuit, secutus, ut videtur, magnorum eorum virorum exemplum, qui, ut se bonis artibus totos dederent, a nuptiis quasi perpetuo impedimento abstinuerunt.

Apparatu domestico erat elegantior quam lautior ; sed ubi publicam sustinuit personam, summa cum dignitate negotia publica tractavit.

Orandi arte ita valuit ut nihil susciperet quod non perficeret. Etenim nulla eum fugiebant monumenta ad rempublicam pertinentia : sed omnes omnium regnorum ac populorum historias et annales memoria plane tenebat. Proinde jura principum in subditos, populorum erga prin-

(1) Cf. *Ep. ad Sidnæum* LXXIIII, p. 310.

(2) *Ep.* LXX, p. 348. « Fateor sane in splendidis aulis esse tot vitiorum illecebras, ut se purum ab iis conservare, et in loco tam lubrico vestigia figere sit valde difficile, sed est nitendum virtute et animi magnitudine contra eas difficultates, in quibus superandis, quo plus erit laboris, eo major erit gloria, quæ ex ea victoria reportabitur. »

cipes officia acute perspiciebat. Itaque summa auctoritate « de principis in populum, populique in principem legitima potestate » disseruit.

Cum Melanchthone et Cameriaro amicitia conjunctus, Languetus multos quoque alios ejus ætatis viros coluit. Mornæum enim Plessiacum ab illo servatum fuisse vidimus (1). Fuit autem ille Mornæus, ut ait Voltarius (2), reformatorum optimus et maximus. Ut paulo ante Melanchthon, fore ut Lutheri Calvinique sectatores una jungerentur sperabat, et iis temporibus integritatis et probitatis, sapientiæ et temperantiæ egregium fuit exemplum. Quibus virtutibus præditus cum nostro arctissime conjunctus est.

Cum vero Plessiacum in Italiam profectum esse audivisset Hubertus, litteras Paulo Foxio, qui tunc apud Venetos legatus erat, misit, ut ei amicum suum valde commendaret. Denique Plessiacum Henrici IV consiliorum participem factum, quam maximis potuit hortationibus impulit Languetus (3), ut ad scribendam illius temporis historiam animum converteret. Amicitiæ vero illud testimonium reliquit quod, cum Antverpiæ supremo morbo decumberet, se contentum vita decessurum esse obtestatus est, si carissimum Philippum semel amplecti posset.

Semper autem memor fuit Mornæus amicitiæ olim junctæ, atque maximas laudes Huberto tribuit in præ-

(1) Marrius, *loc. cit.*, p. 149. *Mémoires de Mme de Mornay*, t. I, p. 27, 71, 72, 80, 84. — David de Licques, *De vita Mornæi*, 1647, I, p. 57.

(2) Voltarius in carmine *La Henriade* Mornæum tanquam summum sapientem et philosophum proponit, qui perpetuò in vehementissimis certaminibus indolem suam servat. In periculosis negotiis eum semper Henrico comitem, consiliarium, adjutorem adjungit (lib. I, VII, VIII et IX). Cf. d'Aubigné, *Hist. univers.*, t. III, liv. II, ch. IV. Huguenotorum causam ita sustinuit, ut cognominaretur *Papa Protestantium*.

(3) Cf. *Memoires et correspondance de Duplessis-Mornay*, t. II, p. 80; *Epist. Mornæi ad Languetum*, nov. 1579.

fatione libri, quem *De veritate religionis christianæ* edidit (1).

Alius Langueti familiaris, Philippus Sidnæus nomine (2), Sanbartholomæanæ cædi adfuit, integer quidem nec de se quicquam veritus : nam per totum hunc diem in ædibus Britannæ legationis (tutus quod se legatum profiteretur) mansit. Cognoverat Sidnæus Francofurti Languetum tunc in Germania pergentem : et protestans ipse, peregrinationibus informatus, ornatus omni doctrina, juris quoque peritus et in rebus sacris maxime versatus, Hubertum nostrum coluerat et parentis nomine dignatus erat. Languetus ipse, quoad vixit, paterno prosecutus est eum amore (3). Quod multæ testantur epistolæ (4).

Mire igitur nostri animus continuo doctorum, scilicet Melanchthonis, Peuceri, Camerarii, Calvini, Theodori Bezæ, Cratonis, Maximiliani medici, Mornæi Sidnæique commercio instruebatur.

In Gallia Turnebum, Ramum, Thuanum, Hotomannum Cujaciumque cognoverat (5). Auratum, Balduinum et Georgium Buchananum convivas habuerat (6) et Achillem Har-

(1) « H. Langueti, toto orbe christiano in primis noti, obitum doluerunt, qui noverant omnes. Ego, quem unice venerabar, parentis loco, unice deflevi... Dicam quod sentio et vero quod res est : certavit in hoc viro cum pietate doctrina, cum conscientia scientia, cum natura ars, cum disciplina rerum usus... Ego certe, quod mihi unum superest, hominis memoriam colam, dum vivam. »

(2) Philippus Sidnæus, Anglus, anno 1554 e nobili gente natus erat. Pater Henricus magna auctoritate in aula valebat atque in Hibernia *pro rege* ter designatus fuit; mater Maria soror erat comitum Warwircensis et Leicestriensis, qui, cum liberis carerent, Philippum hæredem habebant. Anno 1578, Sidnæus fabulam (*The Lady of the May*) composuit.

(3) « Languetum juvabat juvenes, ingenii dotibus eminentes, quasi dirigere et formare. Quemamodum prima Mornæi Plessiaci et Joachimi II Camerarii studia cordi habuerat, sic quoque Philippum Sidnæum adolescentem, vel in studiis, vel inter aulicæ vitæ molestias, consiliis adjuvit. » WADDINGTON, *loc. cit.*, p. 115.

(4) *Huberti Langueti epistolæ politicæ et historicæ ad Philippum Sidnæum*, Francof., 1630, in-18.

(5) *Ep. ad. Camerarium* II, p. 13 et 16.

(6) *Arcana*, II, p. 290-294. Lutetiæ, 8 mai 1564.

læum, Parlamenti Parisiensis præsidem et amiralium Coligny maxima prosequebatur veneratione.

Lutetiæ, inter amicos adnumeravit quoque Languetus Franciscum Stephanum, eruditissimun illum virum, qui gallice Junii Bruti opus, ut utilissimum ætatis librum, tam feliciter reddidit anno 1581. Illius opera in nostra Gallia meliorem in lucem positæ sunt *Vindiciæ contra tyrannos*; itaque non solum amico præfuit, sed etiam perenne quoddam monumentum memoriæ ipsius ædificavit.

Cancellarium Hospitalem modestum et honestum Languetus multi faciebat, ipse minime atrox vel effrenatus, quod ex epistola quadam apparet (1): « Habemus cancellarium Hospitalem... Nec minæ, nec prœmia, tantum apud ipsum potuerunt ut aliquid indignum suo munere faceret... Jam adversus ipsum omnes conspirant... : ipse autem tanquam immota rupes se istis fluctibus opponit et paulatim retundit audaciam adversariorum. » Jam tum nobis manifestum est quam moderate Hubertus simul et libere illud aggressus sit opus, quod mox cognoscemus.

Quibus publicis rebus interfuerit, quos habuerit familiares et quibus artibus animum ornaverit Languetus cum appareat, de opere ejus disseremus.

(1) *Arcana*. Juin 1563, p. 246.

CAPUT II

LIBRUM, QUI « *Vindiciæ contra tyrannos* » INSCRIBITUR, QUIS COMPOSUERIT DISPUTATUR

Priusquam operis doctrinam pensamus, subobscuram rem illustrare conabimur.

Libri enim titulo subscriptum est Stephani Junii Bruti nomen : quod falsum esse, secundum Baylium (1), nemo non persuasum habet. Quis autem falso nomine æquales suos fefellerit non liquet.

Collatis igitur variorum argumentis et eorum refutata opinione qui hunc aut illum *Vindicias* scripsisse contenderunt, Langueti librum esse ostendemus.

a) — *Vindiciarum* Constant (2), nobilis Lausanii professor, auctorem putat fuisse Franciscum Hotomannum, qui de *Franco-Gallia* scripsit. Ego vero, utrumque opus, quanquam eamdem cogitandi rationem præbet, unius esse scriptoris minime censeo. Sed propter id erravit Constant

(1) BAYLIUS. *Dict. hist. et critique, in voce* Languet. Cf. Chevreul, *loc. cit.*, p. 173. Notum est plures eo nomine Bruto usos esse, ut verum celarent : ut exemplum, *Vindiciæ pro religionis libertate,* anno 1650, cum nomine Junii Bruti Poloni prodierunt. Cum Baylio putamus auctorem respexisse utrumque Junium Brutum, quorum alter Romam liberavit a dominatione regia, alter a tyrannide Cæsaris, et hoc nomine odium suum in tyrannos exprimere voluisse; nam, ut apparet ex quæstione tertia, tyrannorum interfectores non tantum non improbat, sed etiam valde laudat.

(2) CONSTANT. *Abrégé de politique,* 1687, p. 300.

quod apud Agrippam Aubinium (1) locum invenit, ubi Hotomanno tribuuntur *Vindiciæ*. Postea vero ipse Aubinius scripsit : « Hotman fut longtemps et à tort soupçonné de ce livre (les *Vindiciæ*), mais depuis un gentilhomme françois m'a avoué qu'il en estoit l'auteur. » Et paulo post : « Depuis, on a su qui en estoit le vray auteur, à savoir Hubert Languet. (2) »

b) — Nec defuere (3) qui *Vindicias* a Theodoro Bezæ scriptas esse contenderunt : illius vero doctrina a Junii Bruti doctrina abhorret. Ille enim tyrannos non depugnari posse censebat dicebatque (4) : « Nullum aliud remedium proponitur privatis hominibus tyranno subjectis præter vitæ emendationem, preces, lacrymas. » Quod quidem jam bene demonstravit Davides Homius in libello inscripto *Apologie des Jésuites faite par un Père de la compagnie de Jésus de Loyola* (5).

c) — Et graviter errant et Grotius (6) qui Plessiacum

(1) Agrippa d'Aubigné. *Hist. Universelle*, t. I, liv. II, p. 124.

(2) Cf. quoque Guilielmi Barclaï *De regno et regali potestate adversus Monarchomachos.*

(3) Pater Cotonus, anno 1611, multorum protestantium scripta recensens, mentionem libri Junii Bruti facit et in margine nomen Theodori Bezæ addit (*Réponse apologétique à l'Anti-Coton et à ceux de sa suite*, p. 173). Jesuita Richeomus Bezam nomen Junii Bruti sumpsisse dicit (*Examen catégorique du libelle Anti-Coton*, éd. 1613, p. 471). Miltonus quoque declarat se Bezam libri auctorem habere (*Defensio secunda pro populo Anglicano*, t. II, p. 395). Libellus sub nomine Theodori Bezæ Amstelodami anno 1660 editus est. Cf. Gisberti Voetii *Disquisitionem de auctore Vindiciarum contra tyrannos, quæ sub nomine Stephani Junii Bruti Celtæ aliquoties typis editæ sunt.* Vol. IV *Disputationum Theologic.*, 1666, II, p. 238 sqq.

(4) Beza (1519-1605). In *Confessione fidei christianæ.*

(5) Anno 1612 edito.

(6) Cf. *Appendicem de Antechristo. Grotii opera theolog.* Amst., 1679, p. 487. Paulus Colomesius nescit utrum Langueto an Mornæo tribuendus sit liber. (Cf. *Recueil des Particularités*, 1696, p. 130). Notandum Boeclerum quoque (lib. I) dubitare, utrum *Vindiciæ* a Mornæo an a Langueto conditæ sint, quanquam hunc auctorem habere videtur. Item in alio opere *Modesto* seu *Museo* (p. 31) hæc occurrunt : « Egregia autem doctrina famaque præditum Franco-Galliæ scriptorem, et qui se Bruti nomine dissimulat, sive Mornæus is est, sive Hubertus Languetus, quis non miretur ? » Cf. Baylius, *loc. cit.*

Mornæum *Vindiciarum* auctorem esse putat et Antonius Thieme (1) qui abhinc non multos annos eadem contendit. Hic enim omnes illius temporis scriptorum locos, qui ad hanc rem pertinent, collegit, et argumentum a Baylio ex Trunchini oratione quadam sumptum refellere conatus est.

Theodorus Trunchinus (2), cum Goulartii (3) laudationem diceret et memoriæ ejus testimonium daret, narravit Henricum III, qui scire vellet quis esset Junius Brutus, Goulartium interrogasse ; hunc vero respondere noluisse, quamvis *Languetum, qui scriptum Mornæo Plessiaco ipse postea tradidisset, opus composuisse*, perfecte teneret (4).

At, dicit Thieme (5), opusculum *ante mortem Langueti* typis mandatum fuisse constat : etenim versio libri gallica jam anno 1581 (6) prodiit, et parum verisimile est principem editionem et gallicam versionem intra tres ultimos menses anni 1581 typis excussas esse.

Nihil vero ex his concludi potest. De *Vindiciis* enim vix éditis acriter disputatum est, nec mirum quod mox translatus est liber. Rem igitur conjectavit, non probavit Thieme.

d) — Itaque Albertus Waddington (7), cum parum valere ejus argumenta intellexisset, nova attulit.

Mornæi uxoris Charlottæ Arbaleste de la Borde hæc verba (8) refert : « Ils feurent, M. de Buhy et M. Duples-

(1) *Disputatio juridica inauguralis de opusculo « Vindiciæ.... » inscripto.* Groningæ, 1852, p. 15 sqq.

(2) Theodorus TRUNCHINUS (1582-1657), Genevæ pastor.

(3) Simo GOULARTIUS (1543-1628) pastor evangelicus fuit.

(4) Cf. MARRIUM, p. 124 et 125, et BAYLIUM, *loc. cit.*

(5) *Loc. cit.*, p. 18.

(6) DU VERDIER. *Bibliothèque française*, in-fol., 1585, p. 300.

(7) *Op. cit.*, p. 127 et 128.

(8) Cf. *Mémoires de Madame de Mornay*, t. I, p. 81 (édit. 1824, aut 1868-1869).

sis, à Jametz, jusques à la mort du roy Charles, qui feut au moys de may ensuivant (1574), et passoit son temps M. Duplessis à faire quelques escritz, entre autres, *il fit en latin un livre intitulé : « De la puissance légitime d'un prince sur son peuple », lequel a esté depuis imprimé et mis en lumière, sans touteffois que beaucoup en ayent seu l'autheur.* »

« Quæ prudentis illius mulieris (1) assertio multum pretii habet, addit Albertus Waddington : Mornæi enim uxor, mariti et Langueti amicitiam occultosque sensus, si quos alter alteri aperuisset, optime noverat, quippe quæ Langueto morienti assideret, et ultima ab illo ad amicum mandata acceperit. »

His vero non moveri nos fatemur (2). Nihil enim in Mornæi aut Langueti operibus de illa re reperitur.

Neque idem titulus est libro de quo loquitur Mornæi uxor et libro quem scripsisse Languetum contendimus. *Vindiciæ contra tyrannos* enim apud omnes æquales inscribitur Junii Bruti opus. Multi autem *de legitima principis in populum potestate* scripserunt, nec credere possumus his verbis quemquam de *Vindiciis* commemorasse.

Illud denique adversus Thieme et Albertum Waddington valet, quod civitatibus, ubi omnia rex potest, favet Mornæus, Henrici IV fidelis amicus (3). Languetus vero eas, ubi omnes omnia possunt, studiis suis prosequitur : nec

(1) Guizot Mornæi uxorem valde laudat (*Etudes biographiques sur la révolution d'Angleterre*. Brux., 1851, p. 183 sqq.

(2) Barbierus Mornæum *Vindiciarum* editorem fuisse et ejus uxorem cum auctore editorem confudisse contendit. *Dict. des ouvrages anonymes et pseudonymes*, Paris, 1824, t. III, p. 655.

(3) Henricus IV de Mornæo aliquando dixit : « Je ne puis pas plus me passer de lui que de ma chemise » et : « Je fais au besoin d'un écritoire un capitaine. » D'Aubigné, *Hist. univers.*, t. III, liv. ii, ch. iv et v. Cf. J. Ambert, *Duplessis-Mornay ou Etudes historiques sur la France de 1549 à 1623*, Paris, 1848, et *Le Mystère d'Iniquité*.

tantummodo tyrannis irascitur, sed, nullis quidem adhibitis in plebem blanditiis, populi jura strenuissime defendit.

Nunc vero, cum neque Hotomannum neque Bezam neque Mornæum *Vindicias* scripsisse satis appareat, restat ut Hubertum Languetum hujus libri esse auctorem nonnullis argumentis confirmemus.

a) — Primo, argumentum e similitudine ductum, quam quidam (1) viri in scribendi et disserendi genere, in Langueti *Vindiciis* et epistolis animadverterunt, plane negligendum esse non puto, et cum illud parum firmum esse declarat Albertus Waddington (2), eum falli opinor.

b) — Deinde, secundum Waddington ipsum (3), gallica, id est patria lingua ad loquendum, rarissime ad scribendum utebatur Languetus : latinam et græcam potius adhibebat, ac latine fere omnes epistolas omniaque opera scripsit. At, nec solum eadem latina lingua — quod vero jam notandum est — neque eadem verba et verborum jungendorum ratio, sed etiam eædem sententiæ, idem erga protestantes studium, idem modus et temperantia et populi amor et tyranni odium et in *Vindiciis* et in Langueti litteris conspicua sunt.

« Testor Deum me nullum privatum meum commodum spectasse, sed motum sola pietate erga patriam », scribebat Languetus ad amicum (4). Hæc, quibus tota Langueti vita continetur, quasi ἐπίγραμμα *Vindiciis* inscribi possint. Per totum enim opus et patriæ et evangelicæ religionis amor perfunditur.

(1) Papillon. *Bibliothèque des auteurs de Bourgogne*, 1713, t. II, p. 372 et 373. « Je dirai seulement que M. de la Monnaye ayant lu avec attention, à ma « prière, les lettres latines de Languet et les *Vindiciæ*, trouva une si grande « conformité de style dans ces ouvrages, qu'il s'étonna qu'on pût les attribuer « à deux auteurs écrivains. »

(2) *Loc. cit.*, p. 128.

(3) *Loc. cit.*, p. 4.

(4) *Arcana*, II, p. 291.

Ex epistola ad Sidnæum scripta (1), secundo et vicesimo die Januarii 1574, philosophiæ studium post sacrarum litterarum cognitionem utilissimum esse putare videmus Languetum, præsertim disciplinæ illius moralis, quæ quid sit justum vel injustum docet. Persæpe autem testimonia e sanctis libris sumit noster. Quid mirum igitur quod horum librorum usum amico suo commendavit? Quæ cura, cum ex litteris anno 1574, quo, ut ait Chevreul (2), opus suum meditatus est, scriptis emineat, magnum argumentum est nobis.

De iis qui armis gloriam sibi paraverunt, Sidnæo suo scribit (3) : « Non autem ideo sunt laudati, quod multos hostes trucidassent, *sed quod cives suos defendissent adversus eos, qui perniciem ipsis adferre conabantur*. Illa sunt bella, in quibus vera gloria paratur. » Hæc vero sententia totius operis præcipua est, nec mirabimur, quod Languetus dixerit populo tyrannos depugnandi jus esse.

« Huguenoti petunt a rege ut concedat ipsis simpliciter libertatem in religione, sine distinctione locorum aut personarum..., ut ostendat se non minorem fidem habere iis, qui sunt nostræ religionis, quam aliis...: ut autem hæc omnia commodius examinentur et constituantur, petunt a rege ut indicat conventum ordinum regni. » Quæ cum ex *Arcanis* (4) sumantur, ex *Vindiciis* tamen sumi possint. Similis enim motus et ardor et sententia. Omnium ordinum conventum necessarium esse dicere solebat Languetus (5). In libro monstrat nihil sine populo posse

(1) *Epist. politic. et hist. ad P. Sidnæum*, p. 31.

(2) *Loc. cit.*, p. 176. Cf. *Arcana*, II, p. 290-294, mai 1564. « Turpe judico vivere in otio et in nulla re prodesse Reipublicæ aut Ecclesiæ Dei. »

(3) *Ep. ad Sidnæum*, p. 258.

(4) I, p. 25.

(5) Cf. *Arcana*, I, p. 237, 239, 258, 286.

regem, sed populum regi præstare. Sibi igitur constat et semper eamdem doctrinam profitetur.

In epistola ad Sidnæum (1), nobiles non solum dignitates sed etiam ab hostibus patriæ defendendæ officium accepisse dicit. Hæc vero amplius exposuit in tertia libri sui parte, in qua potestatem « non honorem sed onus esse » memoravit.

c) — Quin etiam, oratio quam Carolo IX, anno 1570, habuit, cum *Vindiciis* conferenda est. Etenim cum pro Germaniæ protestantibus principibus orationem haberet, eamdem quam in *Vindiciis* doctrinam exposuit. Regem enim hortatur ut et pacem et libertatem tueatur, et ea docet, quæ quartæ libri sui parti argumentum esse possint :

« S'il y a quelqu'un qui s'essaye d'empescher vostre
« vertueux dessein, et de nouveau troubler vostre Estat,
« nos très-illustres princes et seigneurs nous ont ici
« envoyez pour signifier à Vostre Majesté, qu'en tel
« cas ils employeront tout ce qu'ils ont de force et
« de pouvoir pour vous aider à résister à telles entre-
« prises, et maintenir vostre royaume en paix et tran-
« quillité...

« Considérez, Sire, que la multitude du peuple, comme
« dit le sage, est la couronne du roy; et le principal com-
« mandement et la principale loy que Dieu et la nature
« ont donné aux roys et aux princes, c'est la conservation
« de leurs sujets. »

Et paulo post addit : « C'est Dieu seul, qui a puis-
« sances sur les consciences des hommes, qui mesmes ne
« l'ont pas sur la leur propre. »

Quæ sententia totius libri summa est et cur tyrannis bellum indicendum esse censeat Languetus significat.

(1) *Epist.* LXX, p. 348.

Etenim eadem religionis cura movetur et eadem audacia loquitur et cum Carolum IX hortatur et cum *Vindicias* scribit.

Iisdem fere verbis utitur, ut eadem illustret. « Nous « espérons aussi que la royne mère de Vostre Majesté, « ayant longtemps gouverné cest Estat, comme un navire « en pleine mer, battu de tous costez d'orages et de « tourmentes, et l'ayant enfin conduit au port de paix « et de repos, ne permettra pas qu'on le remette de « rechef à la miséricorde des vents. »

Immo in oratione et in *Vindiciis* inest non hujus quidem quam hodie conscientiæ libertatem vocamus, sed pacis et concordiæ magna cupido : quæ suavis nobis esse videtur, cum undique armorum strepitus et factionum clamores audiantur, et paucissimi, ut Hospitalius et Thuanus, pro libertate vocem tollere audeant.

Ejusdem igitur et oratio ad Carolum IX et *Vindiciæ* sunt; nec tenue argumentum ex iis collatis sumitur pro ea opinione quam confirmare conatus sum.

d) — Denique in his investigandis — quod cum nunquam adhuc notatum sit, multum tamen valere videtur — occurrit *Vindiciarum* auctorem Burgundum esse : in tertia enim libri parte (1), dum fœdus inter regem populumque explicat, ad natale solum recurrit et suæ provinciæ Burgundiæ mores commemorat Burgundus noster.

Baylio (2) igitur assentiemur et contra Albertum Wad-

(1) P. 237.

(2) Baylium secuti sunt Haller (*Restauration*, etc., I, p. 84); Barbier (*Dict. des ouvrages anonymes et pseudonymes*, Paris, 1824, t. III, p. 655); Hundeshagen, I, p. 21; Treitzschkius, I, p. 58; Granert (*Zur Geschichte der Souverainität*. Rhein. Westph. Museum, Schulmeister Verein, a. 1849, fasc. 2, p. 124); Von Kaltenborn, I, p. 109; O Van Rees (*Verhandeling over de a anvoijzing der politieke gronden en maximen van de republike van Holland en West. Vriesland van Pieter de la Court*. Utrecht, 1851, p. XL). Menagius quoque aperte Langueto *Vindicias* adscripsit. Vide *Menagiana*. Paris, 1715, III, p. 131.

dington Junium Brutum eumdem fuisse atque Hubertum Languetum (1) pronuntiemus.

(1) Jam antea cognomine usus fuerat scribendo Languetus : ita, mense Martio 1562, post Poissiaci colloquium et edictum 17 jan. de religione promulgatum, quo protestantibus vitæ periculo interdictum erat ne templa in urbibus haberent, eis autem jus conventus extra urbes habendi concessum erat, cum primum exortum est civile bellum in Gallia, Languetus prudentissime Joannis Methonæi (*Arcana*, II, p. 211, 215) et postea Ulrici Fribergi (*ibidem*, p. 238-240) nomen ad scribendum adhibuit.

CAPUT III

In quo exponitur doctrina quæ in *Vindiciis* reperitur

Cum certum habeamus Languetum *Vindicias* scripsisse, quæ sit in hoc libro doctrina exposita dicemus.

In hoc libro (1) quatuor quæstiones explicantur (2) :

I. *An subditi teneantur, aut debeant principibus obedire, si quid contra legem Dei imperent?*

II. *An liceat resistere principi, legem Dei abrogare volenti, Ecclesiamve vastanti? Item, quibus, quomodo et quatenus?*

III. *An, et quatenus principi rempublicam aut opprimenti, aut perdenti resistere liceat? Item, quibus id, quomodo et quo jure permissum sit?*

IV. *An jure possint, aut debeant vicini principes auxilium ferre aliorum principum subditis, religionis puræ causa afflictis, aut manifesta tyrannide oppressis?*

(1) Gallica libri interpretatio est anni 1581, Anglica 1648 et 1689. Notandæ sunt etiam variæ editiones quæ prodierunt Hanaviæ 1595, Ursellis 1600, Francofurti, 1622, Amstelodami 1611 et 1660. Treitzschkius affirmat sibi novem editiones cognitas esse, quarum maxima pars Amstelodami, una Hanaviæ, cunctæ ante annum 1660 prodierunt. Cf. quoque Joly, *Remarques sur le dict. de Bayle*, t. I, p. 60, et Le Clerc, *Une critique de la dissert. de M. Bayle, concernant le livre d'Etienne Junius Brutus*, quæ exstat in fine editionis Baylii, quæ anno 1734 prodiit in urbe Trevoux,

(2) Georges Weill, *Les théories sur le pouvoir royal en France*, 1891, p. 121 sqq.

Langueti indolem et vitam cognoscentibus non difficile est prævidere quæ ad has quæstiones futura sit responsio.

> Junius hoc reges veros, proceresque, libello
> Efformat, populos et sua jura docet (1).

Sed, antequam iis studeamus, oportet de Mornæi Plessiaci præfatione pauca dicamus. Contra Thieme (2) enim Philippum Mornæum Plessiacum, qui Conone Superantio Vascone cognomine utitur, Langueti opusculum edidisse putamus.

Quisquis ille est, auctor « principibus reipublicæ piis et fidelibus » sui Stephani Junii Bruti librum de principis in populum et populi in principem jure commendat.

Cum quidem falsa « pestiferaque » doctrina Machiavelli summo in honore haberetur, principis majestatem et populi jura servari necesse erat.

Languetus, qui cum amico suo de Galliæ calamitatibus sermonem frequenter conferebat, et earum origines, causas, initia et progressus sæpe contemplabatur, Machiavelli libros reipublicæ maxime nocuisse pro certo habebat : neque ullum remedium fore credebat, nisi si principum imperium ac jus populorum ad legitima certaque principia referrentur. Itaque labori se dedit, patriæ tantum amore incensus neque ullo gloriæ studio ductus.

At enim hic liber multorum invidiam et iram excitaturus est? Profecto. Sed quid Bruti viri magnanimi interest? Gaudebit eorum injustitiam, scelera, fraudes patefieri.

Ceterum honeste et graviter disputato et quæcumque adfert, sacrarum litterarum testimoniis, philosophia, politicæ scientiæ doctrina, jurisconsultorum responsis et diversarum gentium moribus et institutis demonstrat.

(1) Scribonius Spinter Belga lectori.
(2) *Loc. cit.*, p. 3.

« Ad docendi rationem, scribit Mornæus, quod pertinet ille, quo planius et certius rem ostendat, ex effectis et consequentibus causas et maximas illas propositiones, sive regulas, colligit, ob oculosque ponit et cognoscendas exhibet, veluti gradibus quibusdam ad summa conscendens. »

In his verbis jam apparet Langueti disserendi ratio. Geometræ et jurisperiti more disserere solet noster : scilicet ad ignota per nota procedit et vera e veris deducit. Nec temere propositum ullum adfert, sed gentes populosque simul ac principes summa cum cura interrogat et sæpissime argumenta multis illustrat exemplis.

Languetus quidem semper eamdem præbet animi magnitudinem : ad veritatem aperiendam unice deditus, populi et principis munera distincta esse et fœdus inter illos quondam exstitisse declarat. « Porro, addit Mornæus, utriusque certos esse terminos a Deo et natura, gentiumque moribus constitutos... His metis transgressis, manere in republica rerum confusionem : ab ea civilis humanique fœderis dissolutionem ; inde tyrannidem ; ex tyrannide immanem seditionem ; ex ea civile bellum radices agere. »

Jam in hac pagina videmus subtilem et vehementem disputandi artem, quam brevi laudabimus. Ita semper apud Languetum vera e veris naturali quadam via quasi defluunt. Sine ordine enim nullam esse bene constitutam civitatem nemo negat. Quomodo autem hic ordo esse possit, nisi leges ab unoquoque serventur et sua officia a subditis et principibus expleantur ?

Denique Plessiacus « pios fidelesque principes » orat (1), ut, vero remedio cognito, omnes malo salutares

(1) Machiavellus quoque, in ultimo libelli *de Principe* capite principes adhortatus est, ut barbaros ex Italia repellerent.

manus adhibeant et « contra crudelem illum immanissimumque tyrannum Turcam » se conjungant. Turcæ enim religionis christianæ hostes habebantur infestissimi, et populis christianis in votis erat, ut ex Europa pellerentur (1).

Hæc de præfatione sufficiunt, quæ Mornæi et Langueti amicitiam iterum testatur : nunc ad ipsum argumentum opusculi transeamus.

I

Prima quæstio. — *An subditi teneantur aut debeant principibus obedire, si quid contra legem Dei imperent ?*

Ad theologiam tantum spectare videntur, quæ in hoc capite disputantur ; sed sexto decimo sæculo magni ponderis erant : cum principi, si qua contra legem Dei imperasset, utrum resistendum an obediendum esset, acerrime disputarent, hæc quæstio omnium et principum et subjectorum intererat. Itaque primo se utilem et opportunam omnibus navavisse operam declarat Languetus, neque immerito, cum principes ea potestate non contenti quæ ipsis a Deo tributa est, illam quoque quam sibi supremam in omnes ipse retinuit, vi invadere conarentur et populus impia mandata serviliter sequeretur. Jam (ut nos docuit Mornæus) legentibus videre licet quomodo Langueti quidem sententia, servari possit patria ; neque deinceps admirabimur, si illum audiverimus et populo et principi justos certosque terminos indicentem.

Quod si cognovissent ii quid inter Deum et reges interesset non tantæ essent calamitates et direptiones, quæ,

(1) Pugna navali ad Naupactum (Lepanto) anno 1571 devicti erant a Joanne Austriaco.

quocumque oculi inciderunt, ruinas et luctus acerbissimos attulerunt. « Interest ergo principum, scire quatenus imperare debeant ; subditorum, quatenus parere, ne aut illi alienam jurisdictionem invadendo, aut hi extra jurisdictionem jus dicenti parendo, in pœnam incidant. Hic vero est quæstionis propositæ scopus, cujus sacram præcipue scripturam judicem faciemus. »

Quæstionem ita plane positam statim resolvit. Distincte et lucide rationes digerit. Nos admonet se non tantum de regibus, sed etiam de ceteris magistratibus locuturum esse : mox viam, quam tenere statuit, piissime sequens, primum sacras interrogat litteras, quæ docent Deum suapte auctoritate regnare, reges quasi precario ; Deum denique jurisdictione sua uti, reges tantum delegata. « Per me, inquit Dei sapientia, reges regnant et principes judicant terram. » Cum Deus solus dominus sit, sequitur ut « regibus propter Deum, non adversus Deum, Deo servientibus, non adversantibus, Dei jura tuentibus, non invadentibus » sit obtemperandum.

Hic fortasse objiciunt quidam Deum suam omnem ad reges auctoritatem contulisse et cœli regnum sibi tantummodo retinuisse. At illos assentatores anteit, cum iratus exclamat valere semper hanc Dei sententiam (1) : « Non dabo nomen meum alteri, non transferam gloriam meam in alium, id est, non eam cuiquam potentiam tradam, quin summum jus mihi perpetuo recipiam. »

Iterum reges « Dei vassallos » esse declarat et addit : « Duplex autem fœdus in regum inauguratione legimus : primum inter Deum et regem et populum, ut esset populus Dei populus. Secundum vero inter regem et populum, ut bene imperanti bene obtemperaretur. De secundo postea videbimus : de primo hîc nobis agendum est. »

(1) *Jesaia*, cap. XLVIII, vs 2.

Deinde sacris scripturis fretus (1) demonstrare conatur, Josue et Judicibus et etiam regibus christianis regnantibus idem pactum esse, easdem condiciones, easdemque, ni implerentur, pœnas constitutas esse. Cum hominum legit historiam et repetit quis Neronis exitus fuerit, qui Christianos scelerate occidit ; quis Caligulæ, qui sibi sacrificia instituit ; quis Domitiani, qui Deum se vocari voluit ; quis Commodi et eorum omnium, qui honores soli Deo debitos sibi vindicaverunt, horrendam eorum fuisse mortem comperit et, illis exemplis in luce collocatis, non sine eloquentia profitetur : « Si enim Deus est Domini superioris loco rex vassallo, quis non Domino potius quam vassallo obediendum pronuntiet ? »

Ceterum propriæ rei suæ minime oblitus, non diutius in parvis moratur, sed mox ad magna transgreditur : « Legem Dei cum dicimus, intelligimus duas legis tabulas Mosi traditas, quibus tamquam limitibus immobilibus, auctoritas principum omnium circumscribi debet. Prima Dei cultus, secunda officium erga proximum continetur : prima, inquam, pietas, secunda justitia caritati conjuncta. » Deum igitur ipsum, principem autem propter Deum amare debemus. « Princeps, inquit sanctus Paulus, minister Dei est, propter bonum nostrum, ad faciendam justitiam.... Timete Deum, honorate regem. »

Non desunt quidem qui nobis objiciant de iis etiam quæ ad conscientiam pertinent regibus obediendum esse.

At, rectissime dicit Hubertus, quam sit istud impie dictum, nemo est qui non videat : non pœnas enim reformidantes sed Deum amantes, non verbera metuentes sed Dominum reverentes parere debemus.

(1) Cf. *Deuter.*, cap. XXIX-XXXI. *Josue*, cap. I et XXIV. *Sam.*, lib. I, cap. X, vs 25. *Reg.*, lib I, cap. II, vs 4 ; lib. II, cap. II, vs 17. *Chron.*, lib. II, cap. XXIII, vs 16, et passim.

Qua sententia primam concludit quæstionem Languetus : nec secus atque huguenotus noster de hac re judicare solebant illi pristini christiani, qui maxima supplicia pati malebant, potius quam impiis principum legibus parere.

II

SECUNDA QUÆSTIO. — *An liceat resistere principi, legem Dei abrogare volenti Ecclesiamve vastanti : quibus, quomodo et quatenus ?*

Soluta prima quæstione, scilicet an subditi teneantur aut debeant principibus obedire, si quid contra legem Dei imperent, in hac secunda quæstione quærit nunc Languetus, principi legem Dei abroganti Ecclesiamve destruenti an resistere liceat.

Semper eamdem disserendi rationem sequitur Hubertus noster, et primum principia fortiter constituit, ex quibus consequentia postea deducet. Copiose igitur de illo fœdere, quod inter Deum et populum quondam sancitum est, loquitur. Certissimum sane est Deum non inconsulte hoc egisse. « Ni enim, scribit, aliqua auctoritas et promittendi et promissa præstandi populo superfuisset, fœdus plane supervacuum fuisset. » Et tunc juris romani, cui quondam adolescens Pictavii studuerat, memor, addit in ea stipulatione de qua agitur Deum, vel ejus vice summum sacerdotem, esse reum stipulandi, dum contra rex et populus universus sunt rei promittendi, ambo ex una eademque causa et ex voluntate conjunctim obligati. « Quemadmodum ergo, cum Caius et Titius eamdem pecuniam Seio stipulanti conjuncti promiserunt, singuli ipso jure in solidum tenentur, et ab eorum alterutro solidum peti potest: ita tenetur rex per se, Israel item per se, curare, cavere

ne quid detrimenti Ecclesia capiat. Uter vero negligat, Deus ab alterutro integram rem petere potest... Item ut in duobus correis, præsertim fiscalis tributi, unus ita in solidum tenetur, ut beneficio divisionis per novellam constitutionem Justiniani concesso uti nequeat: ita rege et Israele tributum Deo regi regum promittentibus, uterque in solidum tenetur. » Justinianum ipsum (1) in illis Junii Bruti verbis equidem agnosco.

E sanctis libris multa noster excipit exempla, ad naturam fœderis explicandam. Ita populum vidimus interdum punitum esse : « Sed, addit, quia boni legislatoris est, non tam curare ut delicta puniantur, quam ne ulla committantur cavere : ut boni medici diætam proscribere potius, quæ morbos arceat, quam remedia, quibus coerceantur. » Ergo pius populus non modo principem legem Dei abrogantem coercebit, verum etiam inprimis cavebit, ne purus Dei cultus corrumpatur. Denique populum principi aut legem Dei violanti aut Ecclesiam vastanti resistere debere Languetus affirmat. « Itaque licet Israeli, si rex legem Dei Ecclesiamve evertat, resistere ; nec id modo ; verum, ni fecerit, ejusdem criminis tenebitur et eamdem pœnam luet. Resistet vero verbo, si verbo oppugnabitur ; si vi, vi ; arte, inquam et Marte. » At statim Hubertus, ut obscura illustret, profitetur se, cum de universo populo loquitur, eos modo significare homines a populo electos, id est officiarios regni, principes, pares, optimates et ceteros, quibus consilium ordinarium aut Senatus constat.

Sententiam suam explicat, cum omnibus illis cavendum esse, ne quid detrimenti reipublicæ accidat, profiteatur. Jamque ea sententia nobis legentibus occurrit, in qua postea immorabimur : « Illi vero, ut singuli rege inferiores sunt, ita universi superiores. » Atque rectissime addit :

(1) Cf. *Inst. tit. de obligationibus et stipulationibus.*

« Ut enim tutor cavere debet, ne pupilli bonum deperdant, ac, ni faciat, actione tutelæ tenetur, ita et hi populi salutem tueri, qui se totum ipsorum curæ tradidit et credidit, suasque in ipsas actiones omnes quodammodo transtulit. »

Ex his quidem cognitis verbis optime tenemus Langueti judicium, qui, ut seditiosam turbam contemnit, ita rursus populum magni æstimat et hoc nomine tantum gentis meliorem partem vocat; simul eum videmus recte intellexisse officia principum, qui « universum populi cœtum repræsentant ».

Postremo, cum Languetus quærit an pars regni malo principi resistere possit, respondet singulas urbes singularumque urbium magistratus de fœdere inter Deum et regem populumque spopondisse, et adversus illos, qui impudenter affirmant rem principum urbes esse, vehementissime argumentatur. « At, inquam ego, urbes non consistunt in lapidum coacervatione, sed in populo. Populus vero est populus Dei, qui Deo primum, dein regi tenetur. »

Cæsari Cæsarem agenti parere justum, sed Cæsari Dei imperium affectanti non obedire justum atque fas putat. Et rectissime reges sic alloquitur noster : « Desine cædere, cedunt; desine Deum oppugnare, desinent propugnare. Quia enim non inferunt sed excipiunt ictus, ubi ensem reposueris, statim clypeum abjicient. » Quæ verba ut probet, res gestas perscrutatur : tales fuisse nobis exponit et David, exercituum Israelis ducem, et Machabæos, qui, oblata ab Antiocho pace, salva religione, cum bellum commodissime gerere possent, tum a Demetrio rege, tum ab aliis recepti sunt; denique, clarissimis inter Bonifacium Octavum pontificem et Philippum Pulchrum, Galliæ regem, controversiis expositis, quæ antea dixerat se confirmavisse existimat.

Verum superest ultima quæstio, quam solvere maxima cum cura Burgundus noster aggreditur. Postquam enim

disputavit an pars regni principi legem Dei violanti resistere possit, quærit an vi et armis repugnare privatis liceat, et apparet non sibi quidem constans, sed, ut semper, pacis amantissimus. Reipublicæ perturbationes ac seditionum æstus reformidat et a patria nova mala avertere cupit; affirmare igitur non dubitat nullum jus contra regem resistendi esse privatis, quia « singuli ex fœdere inter Deum et universum populum, ut sit populus Dei, non tenentur : ut enim quod universitati debetur, singulis non debetur : ita nec, quod universitas debet, singuli debent. »

Denique concludit Ecclesiam armis juste defendi posse : « Quin non minus martyres sunt, exclamat, qui in sacro illo moriuntur, quam qui crucem religionis causa patiuntur. »

III

Tertia quæstio. — *An et quatenus principi rempublicam aut opprimenti, aut perdenti resistere liceat? Item, quibus id, et quo modo et quo jure permissum sit?*

Ut primæ quæstiones theologicam fere speciem habent, sic politica doctrina in tertia parte continetur.

Hæc autem, secundum Mornæum Plessiacum (1), « ex diametro pugnat cum Nicolaï Machiavelli Florentini malis artibus ». Sed, cum opinionem a multis acceptam atque ad legitimam principis auctoritatem pertinentem oppugnet, se non dubitare nos admonet quin tyrannis et malis regibus hæc quæstio futura sit odiosa. At novas exhaurit vires, ubi cogitat eam bonis saltem gratam fore, qui (ut ipsius translata dictione utar) magistratum nihil nisi animatam legem esse existiment. Hæc igitur nova profert : « Ostendimus antea Deum reges *instituere*, regna regibus dare,

(1) In *præfatione libri.*

reges eligere. Dicimus jam populum reges *constituere*, regna tradere, electionem suo suffragio comprobare. »

Languetus ergo, ut omnem potestatem a Deo venire antea censuit, ita nunc populo auctoritatem esse contendit, et eam opinionem non sine magna laude confirmat, quam tot ac tanti viri defenderunt. At multa primo ad rem probandam colligit exempla. « Apud populum Israeliticum videmus semper electionem regis tribui Deo, constitutionem populo, ut se a Deo quidem, sed per populum et propter populum regnare recordentur principes. » Ejusdem modi, secundum Languetum, apud Romanos fuerunt primi reges, et Tarquinius Superbus tyrannus habebatur, quod neque a populo neque a senatu creatus sola vi imperium occupasset. Reges ipsi etiam Galliæ, Hispaniæ, Angliæ et ceteri ab ordinibus regni, quibus tota gens constat, inaugurari solent; non secus ac Germaniæ Imperatores ab Electoribus et reges Poloniæ a Palatinis. « Ac ne ob continuatam aliquot successionum seriem hallucinemur, in illis iisdem regnis, sæpe filio agnatum, primogenito secundogenitum ordines regni prætulerunt. »

Non multum valere illud ex historia excerptum exemplum, quis hodie non videat ? Nullus enim scriptor historiarum eadem proferat, sed talia attulisse Languetum non mirari debemus, qui eo tempore viveret cum omnes avidissime res traditas haurirent : non secus agebat, in *Franco-Gallia*, Hotomannus. Nunc autem illa quasi mortua et jam frigida relinquamus et ad nostri ingenium semper vivum tendamus.

Cum igitur reges a populo constitui certum habeamus, ut populus universus rege potentior sit omnino sequi nobis videtur. Quod non fugit Hubertum, qui illam rectissimam sententiam exprimit : « Populus regem, tamquam ministrum reipublicæ constituit. Quod nomen boni reges non aspernati sunt.... Ratio vero postulat, ut his, cujus

ratione alius exstitit, eodem potentior censeatur. » Dein severo philosopho succedit jucundus rerum pictor : « Sic navis causa, gubernator a domino navis instituitur, qui, ne ipsa ad cautes frangatur, aut male cursum teneat, ad clavum sedeat. Et ei quidem in eam rem incumbenti, ceteri inserviunt, ac dominus ipse paret : est tamen ipse navis servus, ut mediastinus quilibet, nec a mediastino genere, sed specie tantum differt. In republica, quæ navi comparari solet, rex gubernatoris, populus domini loco est. Illi itaque publicam salutem curanti, populus ipse paret et obtemperat, cum tamen non minus sit et censeri debeat ipse reipublicæ servus, nec ab his alia re differat, quam quod majora onera ferre et plura pericula obire teneatur. »

Cum autem de universo populo loquitur, de iis loquitur (ut jam in secunda quæstione nos admonuit), qui populi universi legati sunt, et regis officiariis a rege ipso creatis illos regni officiarios opponit, qui contra a populo auctoritatem capiunt, aut saltem, quo rectius dicat, olim capere solebant. « Illorum munus est, regem curare; horum, ne quid detrimenti respublica usquam capiat... Denique sunt illi regis ministri, servi, domestici ad obediendum tantummodo instituti : hi contra regis in jure dicendo veluti assessores, regis imperii consortes, adeo ut omnes quidem illi rempublicam administrare teneantur non secus ac rex ; is tamen inter eos, quasi præses, primum tantum locum teneat. »

Deinde plurima, ut est mos, sequuntur exempla, quæ non referam. Sed notandum est quantum auctor noster commoveri videatur, cum de patria loquatur. Delectat etiam nos animum Galli generosum agnoscere et Languetum regni officiariorum munera intelligentem videre.

Sed si quis, cum non optime agere reges et officiarios viderit, dicat quamdam fortasse præscriptionem populi juri

obstare : « At vulgatum est, respondet antiquus Boloniæ alumnus, nullam fisco præscriptionem nocere ; multo minus populo universo, qui rege potentior est, cujusque gratia princeps id privilegium habet. » Ac deinde philosophus, aliam, quam meliorem ex natura rerum capit, rationem addit : « An non scitum est illud, libertatem, nulla ne diutissima quidem servitute, violentia præscribi posse ?... Etsi moriuntur reges, populus interim, ut neque ulla alia universitas, nunquam moritur. » Et hæc quo rectius videas sentiasque, scribit : « Ut enim perennem fluvium fluxus ; ita et populum immortalem ortus et interitus vicissitudo facit. » Quæ equidem verba summa cum voluptate haurio.

Nunc superest ut de aliis rebus, de regum scilicet munere et de tyrannis, pauca dicam. A populo enim ad principem, cujus officia explicat, transit Languetus.

Sed primum, quis sit regum finis, et quod sit eorum præcipuum munus, quærit, atque statim « homines natura liberos, servitutis impatientes et ad imperandum magis quam ad parendum natos, non nisi magnæ cujusdam utilitatis causa imperium alienum ultro elegisse », ut postea Rousseau, rectissime dicit. Nos docent etiam philosophi hominem liberum atque præsertim libertatis amantissimum nasci. Hoc profitetur Languetus, cum exponit cur primum constituti sint reges.

Quanti igitur ponderis sunt hæc verba, quæ et sanctus Augustinus et Seneca et Cicero confirmant ! « Propterea, inquit præstantissimus Ecclesiæ pater (1), qui aliorum utilitati consulunt, imperare dicuntur, ut vir uxori, parentes filiis : ii vero, quibus consulitur, obedire. Etsi qui ita imperant iis vere inserviunt, quibus imperare dicuntur, quia dominandi cupiditate non imperant, sed officio consulendi ; nec principandi superbia, sed providendi

(1) *De Civitate Dei*, lib. XIX, cap. xx.

misericordia. » Eamdem autem christianam sententiam invenimus apud Senecam de bonis aurei sæculi principibus loquentem (1) : « Hi continebant manus et inferiores a validioribus tuebantur. Suadebant dissuadebantque et inutilia atque utilia monstrabant. Horum prudentia, ne quid deesset, suis providebat. » Neque aliter omnes olim reges servandæ justitiæ causa constitutos esse declarat Cicero. Et eloquenter cum illis viris sic concludit Languetus : « Imperii finis unicus, populi utilitas. Imperatorum regumque officium unum, ut populo consulant. Regia vero dignitas non est proprie honos, sed onus ; non immunitas, sed munus ; non vacatio, sed vocatio ; non licentia, sed publica servitus ! »

Primum ergo regem ex lege pendere contendit, illa clarissima Pausaniæ verba præscribens : « Legibus scilicet in homines, non hominibus in leges auctoritatem convenire. » Atque de natura et origine legum ita disserit ut Socratem vel potius Ciceronem ipsum audire credas : « Leges quæ cum omnibus una eademque voce loquuntur, a prudentioribus et ceteris magistratibus proxime inventæ fuerunt. Regibus vero id præcipue muneris commendatum, ut legum custodes, ministri et conservatores essent. » Ita, in hac ætate ubi principes maximis facultatibus fruebantur, jus legi æquum habuit noster, cum non gratiam sed veritatem tantum affectaret. « Lex est, ait, boni regis anima ; per hanc movetur, sentit, vivit... Lex est ratio sive mens : ab omni perturbatione vacua, non ira, non cupidate, non odio, non studio movetur. »

Et tunc Socratis celeberrimam sententiam, qui scriptam legem a divina distinguebat, his verbis plenius exsequitur : « Denique lex est mens, vel potius mentium congregata multitudo : mens vero divinæ auræ particula, ut

(1) *Epist. XCL.*

qui legi paret, Deo parere, Deumque arbitrum quodammodo facere videatur. » Principes legitimi igitur leges a populo accipiunt, ut et acceptas tueantur et ex iis constanter servatis gloriam sibi quærant !

Attamen novas ferre leges veteresque abrogare possunt reges. Sed hæc tantum cum populi consensu agant, neque unquam se ex populo omnem auctoritatem cepisse et vocem populi vocem legis esse obliviscantur.

Deinde legibus non regibus in regni cives vitæ necisque potestatem esse contendit. Subditi enim minime sunt, ut plerumque dicitur, regis servi, ne bello quidem capti aut pretio empti : itaque pro eorum libertate sub optimatum pedibus calcata vocem extollit ille qui hominem liberum nasci dicit, et ad altiores cogitationes sic populum revocat : « Quin potius, ut universi domini, quod antea probavimus, ita singuli fratrum,seu agnatorum et consanguineorum loco censendi sunt. » Equidem audire videor uberrimum Græciæ philosophum, Platonem, qui civitatem magnæ genti similem esse putavit. Languetus, sanctis scripturis diligenter inspectis, vocem Dei ipsam regibus legem præscripsisse dicit.

Quasdam deinde quæstiones, quæ quidem ad jus potius quam ad philosophiam pertinent, instituit et accurate solvit.

An rex regnum possideat quærit, et initio « aliud esse fisci, aliud principis patrimonium » affirmat; non dubium enim esse quin propria sua reges habeant, fiscum vero non regis sed omnium rem esse. Quod quidem apud omnes gentes comprobatum videmus. Nimirum, cum olim reges creati sunt, aliquas opes iis tribui necesse fuit, quibus regium decus servarent et regia onera sustinerent. At semper in animo reges habeant illa Pauli verba : « Est princeps Dei minister in bonum populi, eique ut in id incumbat, tributa et vectigalia persolvuntur. » Igitur vectigalia quæ natura essent cum explanaret, Languetus recta

opportunaque consilia afferebat : tunc enim minime ad munus regni implendum miserum populum reges vexabant.

Cum variarum nationum res gestas percurrit noster, patriæ amantissimus et veri minime incuriosus videtur ; de Gallia diu disserit, trium ordinum conventui quanta fuerit olim auctoritas, summa mæstitia commemorat, et regnum regnive partem ullam dare posse regem negat.

At enim rex regni saltem usufructuarius est. « Fructuarius pignori, ait Languetus, dare potest. Diximus reges fisci patrimonium oppignerare non posse. Fructuarius de fructu donare suo arbitrio potest ; regis contra dona immensa, irrita censentur... Fructuarius denique quo modo fructibus suis utatur fruaturque lex non curat. Regi contra quo modo et in quem usum iis uti debeat, lex præscribit. »

Nunc tertiam quæstionis partem aggredimur quæ de fœdere inter populum et regem olim sancito atque de tyrannis agitur.

Cum supra de fœdere inter Deum et regem et populum sancito disserebat, originem potentiæ aperire tentavit et omnem humanam potestatem a Deo venire conclusit. Hic autem de fœdere inter regem et populum agitur. Saulem primo et David et Joam illud fœdus cum universo populo ineuntes ostendit Languetus (1). Tunc enim populus stipulabatur, rex autem promittebat. Ad jus romanum autem rediens, Languetus ingeniose addit : « Stipulatoris partes in jure (2) potentiores censentur. Stipulabatur ille a rege, an juste et secundum leges regnaturus esset ?

(1) *Samuel*, lib. I, cap. X, vs 25 ; lib. II, cap. V, vs 3. *Reg.*, lib. II cap. II, vs 17. *Chron.*, lib. II, cap. XXIII, vs 3. *Chron.*, lib. I, cap. XI, vs 3.

(2) Cf. JUSTINIANUS, *Inst.*, lib. III, t. XV, *de verborum obligationibus*. « Verbis obligatio contrahitur ex interrogatione et responsione, cum quid dari fierive nobis stipulamur. »

Hic facturum spondebat. Populus demum se juste imperanti, fideliter obsecuturum respondebat. Ita fecerunt et Cyrus et reges Spartæ et Romulus et Germaniæ Poloniæque (1) principes et rex ipse Galliæ, qui se leges servaturum esse jurejurando spondebat. Atque exstat etiam (hic apparet Burgundus) antiquorum regum Burgundiæ jusjurandum his verbis : « Omnibus legem, justitiam, maniburgium, id est tutelam conservabo. »

Alia exempla prætereo, quæ maximam auctoris eruditionem testantur. Ex fœdere inter Deum et regem constituto decurrit quæstionis conclusio, multaque obiter de tyrannis dicit Languetus.

Quemadmodum vero antea regem significavit esse illum qui regnum sive per stirpem sive per electionem delatum legitime regit atque gubernat, ita rursus tyrannum eum esse affirmat, qui vi malisque artibus cum imperium invaserit (2), leges non servat. Deinde summa cum cura, Bartoli (3) instar, *tyrannum absque titulo atque tyrannum exercitio* distinguit, sed utrique semper boni principis exemplum opponit. Ad summam denique quæstionem pervenit et requirit qui sint qui tyrannos absque titulo coercere debeant.

« Primum, eloquenter respondet, docet nos jus naturale, vitam et libertatem, qua sine vita vix vitalis est, adversus omnem vim et injuriam conservare et tueri... Accedit jus

(1) Thieme ritum Poloniæ refert secundum Languetum his verbis : « In regno Polonico eadem observantur, ut docet ritus in Henrici Andegavensis electione coronationeque nuper admodum observatus », et addit : « Nonne hæc verba confirmant, quæ uxor Mornæi memorat, hunc jam anno 1574 in hoc opusculo scribendo occupatum fuisse? opusculumque ante annum 1580 prodiisse? Henricus tantum per quinque menses in Polonia degit, in Franciam redux coronatus est ipso anno 1574 » (p. 62, n. 2). Quod quidem argumentum non probo : Languetus enim in epistolis sæpius de his rebus disserit. Cf. Waddington, *loc. cit.*, p. 75, 77, 78.

(2) In *le Contrat social*, liv. II, ch. x, iisdem verbis utitur Rousseau.

(3) *De tyranno*, ed. Bâle, t. V, p. 592.

gentium, quo constituti sunt fines, quos quisque adversus quoslibet defendere tenetur... Accedit vero potissimum jus civile, quo societates hominum quæque certis legibus constitutæ sunt. »

Hic non sine quadam vehementia loquitur : Florentini falsam philosophiam, quam acerbis ictibus profligat, ferire gaudet : sed simul rerum tranquillarum maxime studiosus, populum, si semel publicis rebus potitus erit tyrannus, jugum excutere non posse contendit.

Hac prima parte explicata, ad eos, qui tyrannidem exercent (1), pervenit. Primum omnes reges, cum homines nati sint, non optimos esse declarat. Ergo « de populi hoste regnique vastatore agimus ». Itaque, priusquam ad arma concurrant, qui universi populi velut legati sunt, principem admonere debent. » Nullum, ait (2), bellum justum est, nisi necessarium. Si vero pergat nec sæpius admonitus resipiscat, tum sane tyrannidis reus peractus est, et quæcumque adversus tyrannum seu jure, seu justa vi licent, adversus eum adhiberi possunt. » Tyrannus enim fidem violat, et omnem sacri jurisjurandi religionem contemnit : nam quid esset fœdus inter populum et regem non obliti sumus, et compertum jampridem habemus reges omnes regiam dignitatem a populo accepisse et populum universum iis potentiorem esse.

Ex his principiis dialectice sequitur tyrannum in populum, tamquam *feudi* dominum, feloniam committere, regni sacram majestatem lædere ac propterea gravissimis pœnis obligari. In iis quidem verbis clare et facile invenimus

(1) « Quod rex est, ait, tyrannus callidus videri vult... At certe, utcumque vultum fingat, vulpina cauda semper prominet ; utcumque obganniat, rictus et rugitus leonem prodit. » Cf. Machiavellum, cap. XVIII, ubi docet principi necesse est, ut naturam et hominis et belluæ induat. Princeps tum vulpis tum leonis mores assumere debet.

(2) *Epist. ad Sidnæum* LXX, p. 344.

novam rectamque de principum ac regum officio sententiam. Ceterum diceres Languetum ipsum rei novitatem timuisse et omnem dedisse operam, ut opinionem suam historiæ exemplis et magnorum virorum consiliis probaret. Bartholum enim et Thomas Aquinatem idem judicium tulisse affirmat; postea quieto animo Ulpiani (1) regulas de tutorum curatorumque administratione commemorat et peropportune comparat omnes regni officiarios cum tutoribus *honorariis* qui *onerarium* custodire diligentissime debent. In hoc autem operis loco, Languetus officiariorum regni munus recte intellexisse nobis videtur : « Ii quidem enim veram et superioren tutelam exercent... Itaque, si rempublicam a tyrannide non vindicent, in tyrannorum numero censentur. »

Deinde ultimam resolvit quæstionem, cum cursim a Cardinalium conventu summum Pontificem judicari posse declarat. Miramur quidem philosophum quæsivisse utrum Papa Cardinalibus an Cardinales Papæ præstare deberent ? Sed tunc de religione valde curabant philosophi. Verum in hac parte, quæ parum ad summam rem pertinet, non diutius hærebimus.

Postea ad officiarios redit, quos officia docet. De hac tertia quæstione eloquenter concludit et principes a Deo eligi, a populo constitui rursus profitetur.

(1) Cf. Ulpien. *Regul.*, II, 26. *Dig.*, Lex III, § 4. *Justin.*, 1 et 5. *Institut.*, lib. I, tit. XIII, p. 2. « Tutores autem sunt, qui eam vim ac potestatem habent, exque ipsa re nomen ceperunt : itaque appellantur tutores, quasi tutores ac defensores, sicut æditui dicunt, qui ædes tuentur. »

IV

Quarta quæstio. — *An jure possint, aut debeant vicini principes auxilium ferre aliorum principum subditis, religionis puræ causa afflictis aut manifesta tyrannide oppressis ?*

Nunc ad ultimam *Vindiciarum* quæstionem pervenimus. Cum jam enim quæsiverit scriptor an subditi deberent principibus obedire aliquid contra legem Dei imperantibus, an liceret resistere et quatenus resistendum esset principi rempublicam aut opprimenti aut perdenti, restat ut huic novæ quæstioni attente studeat.

Omnes reges, ut tuerentur catholicam Ecclesiam, potestatem accepisse, multis monstrat exemplis : « Proximum, ait Christus, ut nosmetipsos amare debemus. » Et Cicero : « Una omnium hominum natura est. » Et Thucydides : « Non ii modo tyranni sunt, qui alios in servitutem redigunt, verum longe potius ii, qui, cum eam violentiam reprimere possunt, non curant. » Si quis objiciat culpam esse rei alienæ se immiscere, respondeat Terentianus Chremes : « Homo sum, humani nihil a me alienum puto »... « Quin potius, addit noster, principem regnum Christi invadentem coerceas, tyrannum intra limites suos contineas, populo afflicto, reipublicæ prostratæ manum auxiliarem porrigas ! »

Pro jure igitur et libertate quasi inflare tubam non dubitavit Hubertus. Immo etiam, quæ probabat, efficere tentavit. Scimus enim eum acriter Saxoniæ Electorem hortatum esse ut pro Gallicis protestantibus Galliæ regem oraret, et ipsum coram Carolo IX, anno 1570, orationem pro iis eloquentissimam habuisse, frustra quidem, cum paulo post maximis calamitatibus afflictarentur reformati.

Attamen, ut nationi neque fines alienos invadere neque

jurisdictionem aliæ ad se rapere prodesse compertum habeo, ita maximas grates libenter ago illi qui fere primus inter Gallos populos totius orbis terrarum certa necessitudine conjungi argumentis suis comprobavit. His igitur Langueti verbis assentior : « Jubet Pietas, legem Dei custodire, Ecclesiamque tueri ; Justitia, tyrannos juris reique publicæ eversores, coercere ; Caritas, oppressis succurrere manumque adjutricem præbere ! »

Hæc est honesta et Gallo digna sententia. Longe abest quidem ut omnes orbis populi arcto amicitiæ vinculo jungantur ; sed Huberto Langueto generosam spem aliis sponte afferre honestum generosumque fuit.

CAPUT IV

In quo de Huberto Langueto philosopho atque scriptore breviter concluditur

A sexto decimo sæculo, quo multa cum in Gallia tum in Europa commutata sunt, nova incipiunt tempora.

In hoc autem rerum discrimine, dum patria perturbatur, quisque vocem tollere tentat. Multa quidem inita sunt, nulla vero absoluta; sed perflat generosa et liberalis quædam aura, quæ ad repetendam libertatem omnes animos impellit. Nihil fere de hac ætate dicitur apud posteros, qui majores contemnunt et vix antea Galliam fuisse putant. Nos contra idem apud majores et apud nepotes ingenium et eumdem libertatis amorem invenire gaudemus.

Langueti temporibus, simul theologiæ et reipublicæ constituendæ arti multi se dederunt. Hanc autem illa juvat et velut e tenebris excitat. Etenim cum de theologicis quæstionibus dissentirent reges et subjecti, illud bellum gesserunt, in quo quæ utriusque et jura et officia essent quæsierunt. Ita natæ sunt magnæ disputationes celeberrimæque de diversis reipublicæ modis controversiæ.

Nemo quidem neget de rerum politicarum scientia sexto decimo sæculo et multa et mira dicta fuisse, sed tum sua cuique est doctrina, suus cuique magister. Philosophi vel, si gravius verbum videtur, philosophiæ fautores undique conveniunt; alii aliis obluctantur libris vel libellis

(furor enim « omnia arma vocat »); ad veritatem æmuli sicut ad oppidum expugnandum concurrunt Sed inter bellantium diversos clamores et ictus, dum pro parte sua quisque pugnat et se tantum sapere arbitratur, ecce nonnulli paululum a certamine recedentes, in novam quamdam moderatorum coeunt societatem, nullisque nisi boni justique partibus se addicunt.

Anno 1532, Machiavello mortuo, editus est *de Principe* tractatus : cujus doctrina non solum apud Medicæos, sed in Henrici III aula multum valuit.

Ab hoc libro multum abhorret Mori *de Utopia* (1) liber. Machiavellus enim nihil aliud nisi quod expertum est verum esse arbitratur; Morum vero per somnia vagari juvat: itaque alter tantum nobis magnos sensus tradidit, alterius contra memoria vivide expressa in omnium animis mansit. Ambo quidem et reipublicæ instituendæ et philosophiæ perspiciendæ se dederunt.

Reformationis vero temporibus, perleguntur sacri libri et assidua manu versantur : nec jam in Aristotelis, sed in sancti Pauli verba juratur. Itaque sæculo sexto decimo libertas disputandi a reformatoribus adhibita, quod rectissime dixit Albertus Waddington (2), omni scientiæ maxime favit. In Universitatibus quidem theologia primas partes obtinuit, sed ad theologiam penitus intelligendam et philosophia et antiquorum sermonum scientia et omne genus doctrinarum necessaria erant.

Ante omnes Calvinus Ecclesiæ scripta in honore et pretio ponit, edita in anno 1535 *Institutione Christiana*, cujus in vigesimo capite *de rebus civilibus* disserit : pro ὀρθοδοξίᾳ catholica protestantium ὀρθοδοξίαν instituit, quam a civili potestate tuendam esse opinatur. « Probo civile edictum quod

(1) Thomas Morus, Angliæ Cancellarius, duos libros, anno 1517, edidit *Utopia sive de optimo reipublicæ statu* inscriptos.

(2) *Loc. cit.*, p. 12.

curat ne vera religio, quæ in lege Dei continetur, publice violetur et impune polluatur. » Regibus quidem cives obnoxios facit, at addit : « Si quid jusserint illi adversus Deum, eos nullius facere debemus. »

Quam protestantium doctrinam accepit Languetus, periculosissimam sane, cum dolus et violentia vigerent.

Diversæ sententiæ protestantibus mox fuerunt : una *præs destinationem*, altera liberam inquisitionem extollebat ; illa θεοκρατίᾳ cuidam, hæc novæ et liberali philosophandi viæ favebat : quæ utraque passim in *Vindiciis* videas licet.

Nec mihi profecto hoc propositum est omnia opera, quæ in illo temporis spatio ad lucem prolata sunt, enumerare et inspicere ; nihilominus de Langueti opere edere judicium non possumus, nisi quæ fuerint æqualium scripta a nostro aut audita aut lecta, videamus.

In Britannia primo duos maxime conspicuos libros notabimus : alter *de Potestate politica libellus* (1), in quo Joannes Poynetus episcopus (2) disputat a quo inceperit ea quam potestatem vocamus, quomodo imperare debeat is quem penes sit imperium, an reges omnia possint, an subditorum, quotquot sint, bona possideat princeps, an liceat parvo principi potestatem abrogare et vita vel regno regnantem spoliare. His fortiter explicatis veluti primitias *Pacto civili* (3) facit. Nemo enim adhuc tanta audacia de jure populi disseruerat (4).

Quid *de Jure regni apud Scotos?* Namque scientibus nobis hunc librum post Poyneti opus editum esse, non licuit comperire quo anno compositus sit. Multa quidem sed contraria de illo collegimus. Etenim exemplar vidimus,

(1) *Le Petit Traité du Pouvoir public* (1558).
(2) Edouard VI regnante.
(3) *Le Contrat social.*
(4) Hæc eadem deinde Rousseau avide hausit protestans ipse.

cui inscriptum est : *editio secunda*, *Edimburgi 1579* (id est eodem anno quo editæ sunt *Vindiciæ*, secundum plures auctores) ; Hallam (1) contra hunc librum paulo post apparuisse censet. Quidquid id est, apud Georgium Buchananum (2) inveniri possunt ea quæ Languetus *de pacto* explicat. Utrius sit doctrina, uter prior de pacto disseruerit, utrum Buchanani librum Languetus noverit an non, disputatur. Hoc quidem ignoro et eodem concurrisse Buchananum Languetumque libenter opinor. Etenim quid mirum est quod scriptores ejusdem sæculi eadem interdum cogitaverunt, iisdem innixi rationibus ?

Ceterum nova et inaudita etiam ex cathedris sacris prolata sunt : neminem enim fugit illum qui *de Magistratibus civilibus et de libro disciplinæ* scripsit, Knox (3), Caledoniæ Calvinum cognominatum, olim terrorem adolescenti reginæ Mariæ Stuarto injecisse, cum ipse frigida et gravi voce ei minaretur quæ mox acciderunt, immaturam scilicet mortem, summumque et infame supplicium. « Licere, dicebat Knox (4), manus regis catenis vincire, qui legem Dei violasset, regemque in carcerem conjicere ; Deumque sic non offendi, sed observari contra divinum fœdus. »

Eadem in Gallia ob easdem causas dicta sunt. Et Gallorum indignationem *Princeps* Machiavelli ita movit, ut illum Languetus anno 1580 refellere vellet.

Jam antea Franciscus Hotomannus (5), præclarus jurisconsultus, animum ad eadem converterat. Et enim in suo *Franco-Gallia* unde oriatur regum potestas disserit, delectumque fuisse primo in Germania regem demonstrare

(1) Hallam, *Hist. de la littérature en Europe*, t. II, ch. iv.

(2) Georges Buchanan (1506-1582), *De Jure regni apud Scotos*.

(3) John Knox (1505-1572). *Des magistrats civils et du livre de la discipline*.

(4) Cf. Mignet, *Hist. de Marie Stuart*.

(5) François Hotoman (1524-1590), *Franco-Gallia, sive tractatus de regimine regum Galliæ et de jure successionis*. Genevæ, 1583.

conatur : « Primo, inquit (1), reges constituti sunt populi potius judicio ac studio quam hæreditario jure », additque se « populum non modo creandi, verum etiam abdicandi regis potestatem sibi omnem reservasse docuisse ». Cautus tamen ultra procedere dubitat seque regis imperium simul et δημοκρατίαν fovere confitetur. Idem, paucos post annos, in libro *de Jure nepotis erga avunculum* (2) populum oblitus est et regnum quasi patrimonium esse concessit, universitati civium jus hæreditarium anteponens !

In hoc autem certamine, ecce nobis apparet majestate et castitate insignis Hospitalius (3), qui nullis addictus partibus, a sincera animi ratione nunquam discedit, sed magnum æqualibus sapientiæ præbet exemplum, acriter pro pace animique libertate agit et inter fœderatos reformatosque semper sibi constans, ut dictum est, partibus præest.

Ingenii, vitæ et operum causa Languetum inter *Politicos* adnumerandum esse non dubitamus dicere. Moderatione simul et audacia eminent *Vindiciæ*, quæ hostes non ad prœlium hortentur, sed jungere et consociare conentur. Adde quod ejus, cum publicus inter populos legatus erat, propria erat adeo componendi et concedendi cupido, ut adversa in rebus publicis sæpissime conciliaret. Propter quam agendi rationem illum inter Hospitalium et Bodinum Andegavum ponemus. Bodinus (4) enim, qui gravem *de Republica* librum anno 1577 scripsit et inter eminentes hujus ætatis viros tantam partem tenuit (5), semper moderatum se præbuit et pro vero et honesto, ut Languetus, dixit. Atta-

(1) *Franco-Gallia*, ch. x.

(2) *Disputatio de controversia successionis regiæ inter patrem et nepotem, atque in universum de jure successionis regiæ in regno Galliæ*. Francofurti, 1585.

(3) 1504-1573.

(4) 1530-1596.

(5) Cf. Baudrillart, *Bodin et son temps*, et Georges Weill, *Les théories sur le pouvoir royal en France*.

men ad opinionem quæ civitati favet, magis inclinat noster et potissimum Stephani La Boetie (1) memoriam evocat. Ex ejus enim libello δημοκρατικὸν quoddam emicat et erumpit, et sæpe apud eum fere easdem cogitationes invenias, idem scilicet tyrannorum odium, eumdem libertatis amorem. In celeberrimo libello, qui inscribitur *la Servitude volontaire* aut *le Contre un*, eloquente exclamat auctor : « Soyez résolus de ne plus servir et vous voylà libres. Je ne veux pas que vous le panlsiez ny le bransliez, mais seulement ne le soustenez plus (le tyran): vous le verrez comme un grand colosse à qui on a desrobbé la base, de son poids mesme fondre en bas et se rompre! (2) » Libertatem quidem cotidie emendam esse cum Tacito putamus et Languetum insurgendi juris fines regentem anteponimus.

Machiavellum redarguere constituerat Languetus. « In his quæstionum decursibus, ait in præfatione Mornæus Plessiacus, veterem illam regna gubernandi nimirum perfectam effigiem, tamquam matronam legitimam, castam, integram, nec ullis comptam calamistris, intuebimur, pro qua nobis Machiavelli illi spuriam, fucatam, impudicam et improbam substituere non dubitant. »

Quomodo et quatenus, nunc inquiremus.

Non mirum est talia tentasse Languetum, cum *de Principe* multum tunc disputaretur. Multi enim in hoc libro pessimæ tyrannidis principia contineri arbitrabantur et, cum populi jura ostenderent, Machiavelli doctrinam evertere conabantur.

Itaque *Vindiciæ* scriptæ sunt. Quanquam enim in hoc

(1) 1530-1563.

(2) Cf. *Œuvres complètes d'Estienne de la Boetie*, édit. Léon Feugère, 1 vol. in-12, p. 23 et 24. Libellus editus est anno 1578, mortuo La Boetie.

libro non singula Machiavelli refutantur (1), omnia tamen Florentini doctrinæ adversa sunt.

Hic enim, cum homines malos et perfidos arbitretur (2), duas tantum eos regendi rationes esse contendit (3), corrumpere scilicet aut terrere, adulari aut evellere (*o vezzeggiare o spegnere*). Quæ ex his principiis ponat scimus: timeri quam amari principi melius esse (4), promissa non efficienda esse ei, si quid ex his detrimenti accipere possit (5).

Languetus contra regem fœdere obligatum ostendit et illius officia dictitat. Potestas non honos sed onus, inquit, multum a Florentino abhorrens. Machiavellus, ut notavit Fredericus II (6), Siculas Vesperes aut Sanbartholomæanam cædem probaret; Languetus contra hæc vehementer agitat et insequitur (7).

Machiavellus quid interesset tantum aut quæ perficerentur curabat (8). Ut omnia prospere evenirent tantum spectabat et honestum nihil aliud quam utile esse censebat. His adversabatur Languetus, qui dictitabat regi populum esse tuendum et tyrannos vehementer insectabatur (9). Non solum quomodo bella gererentur, sed etiam quomodo leges servarentur, principem ut disceret hortabatur. Neque etiam, si pessimi, ut ait Machiavellus (10), sint homines, mali ipsi debeant esse reges. « Si neque honos neque

(1) Ita agit Fredericus II, in opere quod inscribitur *Anti-Machiavel*.

(2) Machiavel, *Œuvres complètes*, édit. Nourrisson. *Le Prince*.

(3) *Le Prince*, ch. v.

(4) *Ibidem*, ch. xvii.

(5) *Ibidem*, ch. xviii.

(6) *Anti-Machiavel*, ch. viii.

(7) Ut Hospitalius ipse, qui dicere solebat : « Excidat illa dies ! »

(8) *Le Prince*, ch. v.

(9) « In summa, dicit, rex studet utilitati publicæ, tyrannus propriæ... Si cui vero hæc descriptio non satisfaciet, præterquam quod accuratiores forte tyrannorum imagines in historiis inveniet, vivos et spirantes tyrannos omnibusque numeris absolutos hoc tempore quo intueatur, multi in regionibus habet... » *Vindiciæ*, III, p. 181.

(10) *Le Prince*, ch. xv.

virtus superesset, dictitabat Carolus Sapiens (1) utriusque vestigia apud principes invenienda essent. » Haud alia expressa sunt in *Vindiciis*.

Non solum doctrina sed etiam confirmandæ doctrinæ ratione abest a Machiavello Languetus. Frustra enim apud Florentinum principia ex theologia aut morali philosophia sumpta quæras, sed res subtiliter expositæ sunt. Languetus vero e philosophia et theologia et sanctis libris placita mutuatur.

Attamen non hoc comprobamus Languetum tot et tanta apud theologicos invenisse. Diversæ enim scientiæ sunt theologia philosophiaque nec quæ sine periculo misceantur. Quamobrem e sanctis libris contraria de civitate constituenda sumpserunt Languetus et Bossuetius (2), cum eadem loca diversis modis intelligerent.

Hic unius, ille omnium potestati favet. Negat quidem Bossuetius (3) te legem interpretari posse, nisi eam ducas fœdere quodam stare, quo homines statuant quid ad jungendam inter se societatem expediat. Sed postea : « Non inde diximus legum auctoritatem e populorum voluntate pendere, sed principem annuimus tantum, cujus eædem sunt res ac populorum, sapientissimo cuique populi inniti et sæculorum præteritorum experientiæ. »

Et regem « quasi multitudinis custodem » esse ostendit. Deus vere regnum obtinet, inquit (4) ; at cum Deus non

(1) Hæc verba refert Fredericus II (*Anti-Machiavel*, ch. XVIII).

(2) Cf. *la Politique tirée des propres paroles de l'Ecriture sainte*.

(3) *Politique tirée de l'Ecriture sainte*, liv. I, art. IV, 6e prop.

(4) *Politique tirée de l'Ecriture sainte*, liv. II, art. I, prop. 1, 2 et 3. « In ea sententiarum varietate animus inclinat ut credam ac vero et pro certo ponam unius principatum ceteris omnibus reipublicæ formis esse præferendum... In omni deliberatione, pars sanior a pejore superabitur : neque enin suffragia ponderantur, sed numerantur. » — Mariana jam dixerat : « Unum reipublicæ præesse quam plures præstantius est. » *De rege et regni institutione*, liv. I, ch. II. Tolède, in-4o, 1599.

ipse per se propriam dominationem exerceret, suam potestatem cuique patrifamilias delegavit et ita ex administratione domestica principatus ortus est.

Quanquam igitur Bossuetius alias etiam instituendæ civitatis species legitimas habet, profitetur tamen omnes homines nasci ut regnentur, paterno imperio jam ad parendum informatos. Et hoc semel posito, facile concludit legibus sane principem obnoxium esse (1) et ab animi mollitie vacuum se præbiturum esse (2), sed jussorum rationem nemini debere (3) : itaque nullam existimat a malo rege defensionem esse, et populo securitatis nullum aliud præsidium esse, nisi regnantium virtutem.

De hac igitur quæstione, an resistendum sit principi legem Dei violanti aut populum opprimenti, contraria contendunt protestans et catholicus.

Ut populos tyrannis resistere posse theologico more probet auctor noster, Davidi et Machabæorum res gestas narrat. Bossuetius autem dicere non dubitat nihil in his verbis esse quod subjectos ad seditionem impellat. « Quærant adversarii (4), ait (5), ne bellum a Davide adversus Saulem gestum, ne insurgentes adversus Syriorum reges Machabæi, indicio sint posse aliquando abnui legitimi principis imperium ? » Et hæc præter consuetudinem et extra ordinem Deo jubente facta esse contendit. « David, inquit, non quidam erat subjectus nec ceteris similis, sed a Deo electus, Sauli hæres et jam a Samuele sacratus. Itaque communis omnium felicitatis erat ut suam, cui Saul injuste minaretur, vitam servaret. Machabæi vero adversus

(1) *Loc. cit.*, liv. IV, art. I, prop. 4.
(2) *Loc. cit.*, prop. 6.
(3) *Loc. cit.*, prop. 1 et 3.
(4) Cf. Jurieu. *Lettre IX*, p. 67, et *Lettre XVIII*, p. 134. Edit. Firmin Didot.
(5) *Cinquième avertissement aux Protestants sur les lettres de M. Jurieu* Edit. Firmin Didot, 1841, t. IV, p. 405.

Antiochum illum bellaverunt probante Deo, cum religione ipsa hoc institutum esset ut Abrahami filii semper ceteris superessent. »

Ita Bossuetius subditos ad abjiciendam obedientiam non incitat. Nihil est a quo magis ipse abhorreat : vult enim qualicunque dominationi pareri.

Erga principem fides nostra obligata est : amandus et juvandus ideo rex est perinde ac patria. At enim fortasse immanis atque importunus erit ? Etiamsi hoc ita sit, vota pro ejus salute sunt facienda (1), patienda æquo animo cujuslibet mali principis impotentia, optandum melius imperium. At, objiciebant calvinistæ a Bossuetio impugnati (2), ut a populo rex fit, ita a populo suprema potestas defertur. — Si a populo collata est summa potestas, respondet episcopus (3), jam non a populo possidetur. Et eos qui fœdus exstitisse dicunt per jocum rogat, num parvuli in cunis vagientes conventis et stipulationibus cum parentibus alligati sint.

Languetus contra regi populum præstare et resistere posse contendit. Cum autem intelligeret ipse se omnem potestatem sic evertere, nonnulla attulit quæ atrocem doctrinam lenirent. In regem populum opprimentem solum vim adhibendam esse arbitratur cum precibus nihil effici posse constat, et « privatis » saltem jus resistendi esse negat : « Singulis enim seu privatis res publica commissa non est... ; singuli denique principem non constituunt, sed universi. (4) »

Modestus igitur erat noster. Et catholici tamen et pro-

(1) *Politique tirée de l'Ecriture sainte*, liv. VI, art. v, 5e prop.

(2) Cf. Jurieu, *Lettre IX*, p. 67.

(3) *Cinquième avertissement aux Protestants*, p. 403 et 405, et *Politique tirée de l'Ecriture sainte*, art. IV, 6e prop.

(4) « Vides nos summo studio in id incumbere, ut miseram patriam evertamus », scribebat ad Joachimum Camerarium. *Hub. Langueti epist. ad Joach. Camerarium*. Groningæ, 1646, p. 74.

testantes summa audacia insurgendi jus tunc prædicabant (1). Mariana tyrannum cum « bellua » conferebat et tyrannicidam laudibus extollebat (2) : « Sic Clemens periit æternum Galliæ decus, ut plerisque visum est, viginti quatuor natus annos, simplici juvenis ingenio, neque robusto corpore : sed major vis vires et animum confirmabat. »

Et eadem apud Poynetum (3) : « A populo reges auctoritatem obtinent ; porro num ideo insanus inveniri potest homo, ut contendat eos qui aliis munera tradiderint non posse eadem recipere, si justæ fuerint causæ ? »

Et apud Buchananum (4) :

« B. — Rex autem si facit quæ sunt solvendæ societati humanæ, cujus continendæ causa fuit creatus, quid eum vocamus. ?

M. — Tyrannum opinor.

B. — Tyrannus autem non modo non justo habet imperium in populum, sed etiam hostis est.

M. — Hostis profecto.

B. — Cum hoste ob graves et intolerabiles injurias est justum bellum.

M. — Bellum sane.

(1) V. Guizot, *Hist. génér. de la Civilisation en Europe*, 1850, p. 107 « ... Droit terrible, insociable, puisqu'il en appelle à la force, à la guerre, ce qui est la destruction de la société même ; droit qui cependant ne doit jamais être aboli au fond du cœur des hommes, car son abolition, c'est l'acceptation de la servitude. » Cf. art. 35 de la Constitution de 1793 : « Quand le gouvernement viole les droits du peuple, l'insurrection est pour le peuple et pour chaque portion du peuple le plus sacré et le plus indispensable des devoirs. » Cf. art. 36 de la Charte de 1830. « La présente Charte et tous les droits qu'elle consacre demeurent confiés au patriotisme et au courage des gardes nationales et de tous les citoyens français. » — Quid enim, si resistendi jus civibus sit ? « Semper civile bellum erit, semper cædes civium inter se fiet », respondet Bossuetius. *Avertiss. aux prot.*; éd. Didot, t. IV, p. 393

(2) *De rege et regni institutione.* Tolède, 1599. Liv. I, ch. vi. *An tyrannum opprimere fas est ?* Cf. etiam, liv I, ch. vii. *An liceat tyrannum veneno occidere ?* — Cf. Rose *De justa reipublicæ christianæ in reges potestate*, 1590.

(3) *Op. cit.*

(4) *Op. cit.*

B. — Quid in eo, quod cum totius humani generis hoste, hoc est tyranno, geritur ?

M. — Justissimum. »

Joseph de Maistre (1), qui de his severius disputat, non tantam subditis adversus reges concedit potestatem : « Attamen, inquit, si Nero quidam est qui aliis imperat, durius profecto hominibus videbitur ei parere : quod si fidem imperatori integram juraverint, deterrimo tyranno sese submittent homines : si contra rebellaverint, periculosissimam civitati perturbationem afferre poterunt ; has calamitates vitabunt, si eis Papa permiserit ne fidem jurent. »

Non multum ea doctrina distat a Barclaii doctrina, qui anno 1609 librum *de Potestate Papæ* (2) edidit, ibique Evangelii illud verbum explicavit : « Per me reges regnant. Data est a Domino potestas vobis. » Nam eo processit ut scriberet : « Papam ratione suæ spiritualis Monarchiæ habere potestatem temporalem indirecte, eamque summam disponendi de temporalibus rebus omnium christianorum, et posse mutare regna et uni auferre atque alteri conferre, si id necessarium sit ad animarum salutem.. »

Et Boucherius exclamavit (3) : « Populos obedientiæ vinculo Papa eximat, detque operam ut alteri commodiori grex a Christo redemptus committatur. »

In ultima libri sui parte (4), ne regibus populus resistere possit, requirit etiam Locke et, scriptoribus sexti decimi sæculi perlectis, disputat. Barclaïum sæpe testatur, qui acer regum custos reges tamen a populo destrui posse profitetur, et his concludit : « Exsistet profecto aliquis

(1) *Le Pape*, 1819, liv. II, ch. II.

(2) *De potestate Papæ : an et quatenus in reges et principes sæculares jus et imperium habeat*, 1609.

(3) Boucher. *De justa Henrici III abdicatione.*

(4) *Le Gouvernement civil*, XXVIII, p. 317.

mihi qui illam notissimam proponet quæstionem : quis judicabit ne princeps vel ille quem penes leges sunt, modum excesserit potestatis et auctoritatis limites egressus erit? Seditiosi per populum reptare possunt eique persuadere illos qui imperent ea facere, quorum nulla illis sit auctoritas, etiam si illi bene munus impleant. Ego vero populum in tali re judicare debere censeo. Quis enim melius videbit an bene impleta fuerit procuratio, quam ille qui alii suscipiendam dedit? »

Hæc sunt sapientis, hæc boni viri et populo faventis. Quibus rebus num Languetus cum Rousseau consentit? Non tantum quidem, quantum primo conspectu apparet; sed alter ab altero multum distare videtur.

Rousseau (1) enim *civilem contractum* eum habet quo homines in societatem redacti sunt. Nihil de hoc apud nostrum invenimus, qui parum curavisse videtur unde hominum societas orta esset.

Uterque quidem populi esse potestatem censuit. At noster, dum fœdus inter regem et populum ictum esse ostendit (2), ad id tantum spectat ut populi et principis jura simul officiaque perscribat. Rousseau (3) contra potestatem non fœdere sed lege constitutam arbitratur, magistratusque populi non dominos sed ministros esse et omnes ab illo institui et everti censet. Ita Rousseau eadem fere ac Languetus dixit, sed alia ratione probavit.

Languetus saltem, ut illis temporibus, multum ausus est, quanquam non solus fuit, qui leges ad doctrinam suam vocavit confirmandam. Apud præclarum enim *de Servitute voluntaria* opus, hanc sententiam reperimus :

(1) Cf. *Contrat social*, liv. I, chap. VI.
(2) In tertia quæstione.
(3) *Loc. cit.*, ch. XVIII.

« Ad id tantum hominum societas tendit ut fraterna vincula arctius contrahat et voluntatum quasi conjunctionem et fascem faciat, cum alii opem ferre, alii accipere possint. »

Quin immo Joannes Poynetus (1), anno 1558, in opusculo *de Potestate politica*, fœdere aut potius mandato quodam rempublicam institutam esse dixerat.

Fœdus etiam fuisse fingit alius jurisconsultus, Georgius Buchananus, qui, in suo *de Jure regni apud Scotos dialogo* (2) scribit : « Mutua igitur regi cum civibus est pactio. »

Hanc tamen doctrinam, quam tanto in honore postea ductam sexto decimo sæculo fortiter expressam apud Languetum solum invenimus, duo scriptores acriter aggressi sunt.

Bossuetius, cum de potestatis origine et natura disserit, Dei potentiam studiose intuetur et regi absolutam tribuit potestatem, nec jam, ut vidimus, ulla populi jura agnoscit : « Talis est populi cujusdam consensus et conjunctio, cum quisque voluntatem suam abjicit et eam cum voluntate principis aut magistratus jungit, quod nisi faciat, nulla esse potest concordia... : nam ubi regnant omnes, omnes inserviunt. »

Joseph de Maistre (3) quoque postea dicere audebit : « Cum inter se conjuncti ideoque ab aliquo directi nascantur homines, hominum voluntas in constituenda republica minime valet. Sed propter ipsam hominum naturam summa potestas non hominibus est, nec jam populorum gratia et favore fiunt principes. »

Ab ista quidem doctrina multo magis abhorremus quam a Langueti sententia : nec prope ullus est qui eam hodie

(1) Poynet. *Le Petit traité du pouvoir politique*, 1558.

(2) *De Jure regni apud Scotos dialogus, auctore Georgio Buchanano Scoto.* Edit. secunda, Edimburgi, 1579.

(3) Le *Pape*, 1819, liv. II, ch. I.

sectetur. Itaque non diutius in ea controversia manebimus, quippe qui *conventionis* doctrinam doctrinæ *abdicationis* anteponamus.

Non quidem desunt qui Languetum aggressi sint et ejus doctrinam refutare tentaverint.

Sic Joannes Barricanes (1), Tolosæ natus, leges humanas protulit nihil posse adversus principes, obsequii natura expertes; sed minime quod protulit conatus est probare. Et Barclaïus (2) nostro infensus eum accusavit quod « semina seditionis » spargeret, et scribere ausus est : « Non ei regnum, non aristocratia curæ est : anarchiam amat, quod in ea nullus libertati et libidini terminus est, sed infinita utique et impunita licentia. »

Fatendum est quidem non sine periculo Langueti doctrinam prolatam fuisse : non Languetus ipse, quod velut pacis amicus videbatur, sed ejus doctrina, ut dicit Guizot(3), rerum perturbationi favet. Multum tamen æqualibus suis profuit auctor noster. Jura enim populi et regum officia eloquenter memoravit et conventum trium ordinum regni et in libro et in epistolis magna semper cum prudentia expoposcit. Utinam hoc sapientis consilium secuti essent ii qui tunc rebus publicis præerant, nec tantæ calamitates deflendæ essent! In civitatibus enim, in quibus populo summa potestas est, semper natura et, ut ita dicam, ipso jure quæstiones resolvuntur maxime arduæ.

Ubi inter populum et legatos dissensiones surgunt, quæ commisit, mandata eorum revocat populus, neque unquam necesse est arma sumere : sed pax, nullis

(1) Jean Baricane, de Toulouse. *Défense de la Monarchie françoise et autres Monarchies contre les exécrables maximes d'Estat d'Estienne Junius Brutus.* MDCXXLV, p. 480 et 507.

(2) Cf. *Guilielmi Barclaï, illustrissimi ducis Lotharingiæ. De regno et regali potestate adversus Monarchomachos*, 1600, p. 557, 960.

(3) *Histoire générale de la civilisation en Europe*, 1850, p. 107.

rebellantibus, regnat inter cives. Ita veram futuramque solutionem præsensit saltem et commendavit Hubertus Languetus et philosophiæ perenne quoddam monumentum exegit.

Parum diserte quidem tanta exposuit. Dilucide enim sed non sublimiter disserit, et in quæstionibus tractatis tædium non semper fugit.

Quod latine *Vindicias* scripsit non mirum. Etenim omnes latinum sermonem discebant, neque quemquam fugit celeberrimos illius temporis viros Ciceronis et Virgilii linguam quasi maternam scripsisse, et Hubertum ipsum, vix novem annos natum (ut refert Nicero) (1), latine locutum esse. Attamen Junius Brutus eloquenter loquitur, cum principes ad virtutem hortatur colendam, et semper veri honestique amantem se præbet.

Affectatam orationem diligenter fugit et veram sermonis simplicitatem tenet. Interdum tamen languidior nobis videtur ejus oratio; sed plerumque de maximis rebus cum dignitate summa tractat. Sæpe parcius dicit et ad meram præcipue eloquentiam pervenit, cum libertatem, « qua sine vix vita vitalis est », contra tyrannos vehementissime defendit. Sæpius sacras scripturas invocat protestans ille superbus, qui semper protestantium oppressorum causam orare potius quam veram religionis et conscientiæ libertatem repetere videtur.

Sic sexto decimo sæculo protestantes a catholicis vexati tolerantiam invocabant, nec tamen fidei libertatem omnibus in medio ponebant, nec maximam quæ conscientiæ debetur reverentiam plane norant Languetus et Langueti æquales. Sed dum pro sua securitate pugnabant, magnas efferebant sententias, unde tota videtur posthac exorta esse quæ ad mores pertinet philosophia.

(1) *Mém.*, vol. III, p. 292 sqq.

Eximiam tamen tunc Hospitalius hanc scripsit sententiam, quam omnium opinionum quasi normam allegamus : « Conscientiæ libertas est purissima libertatumque omnium maxima ; nam est vero intimæ cujusque animi partis, pietatis scilicet libertas », et mire addidit : « Necesse est in pace relinquere hominum animos, qui vero neque ferro neque flammis, sed ratione tantum flecti possint. »

De scientia, quæ in opere continetur, non disseram. Verum exempla, quæ passim refert Hubertus, sententias non mediocriter gravare et sermoni veluti caliginem offundere videntur. Ceterum falsa pleraque invenimus allata ab Huberto testimonia, nec mirum : omnia enim tum pro veris accipiebant, neque in his quæ ad causam utilia viderentur eligendis severi erant, sed fabulis et fictis rebus ad disputandum libenter utebantur.

Qui multa vidit et retinuit auctoris eruditionem mirati sumus, et speramus fore ut legentes nunc nobiscum concludant eum denique laude non indignum esse. Non fuit tantum Hubertus Languetus prudens legatus ; sed *Vindicias contra tyrannos* scribendo, majorem sibi comparavit gloriam, et sæculo sexto decimo inter primos philosophos populo faventes et libertatis pacisque veros amicos adnumerandus est.

VIDI AC PERLEGI,

Divione, a. d. I Kal. Mart. anno M D CCC XCVII.

Facultatis Litterarum in Universitate Divionensi Decanus,

C. ADAM.

TYPIS MANDETUR :

Academiæ Divionensis Rector,

G. BIZOS.

INDEX CAPITUM

Le Mans. — Imprimerie Ed. Monnoyer. — 1897.

ERRATA

Pag.	Lig.	Au lieu de :	Lisez :
22	8	in Germania	in Germaniam
36	4	Efformat	Informat
36	27	disputato	disputat
41	4	malebant, potius quam	malebant quam
55	1	aliæ	alterius
62	13	cotidie	quotidie
63	12	Vesperes	Vesperas
65	20	ne	an
68	25	ne	an
69	2	ne	an
72	10	linguam quasi maternam	lingua quasi materna

Typ. Ed. Monnoyer

TYPOGRAPHIE

EDMOND MONNOYER

LE MANS (SARTHE)